



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guida per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.


Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

NATIONAL-BIBLIOTHEK

527.430 C

ALT-



72



28 B 5 345/22 1718



Zanetti p.

B. BENVENUTA BOJANA
de Civitate Austria in Provincia Forijulii Soror Tert. Ord. S. Dominici,
ex vetusta pictura seculi XIV expressa.

J

V I T A
BEATÆ BENVENUTÆ
B O J A N Æ

De Civitate Austria in Provincia Forijulii,
Quæ nunc primum latine, ex Originali Codice Ms. in lucem prodit

CUM PRÆFATIONE, ET ANNOTATIONIBUS
FR. JO: FRANC. BERNARDI Mariæ
DE RUBEIS
ORDINIS PRÆDICATORUM.



VENETIIS, MDCCLVII.
CUDIT SIMON OCCHI
SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

527.430 C.



P R Æ F A T I O.



ITA DEVOTISSIMÆ BENVENUTÆ, ut primæva inscriptio fert, nunc primum latine prodit in lucem ex Originali Codice Ms. qui in Forojuliensi Fratrum Prædicatorum Coenobio adservatur, ac partim ex alio sequioris ævi exemplo quod possident perillustres Viri Bojani, ejusdem cum Benvenuta nobilissimæ stirpis. De synchrono probatissimo Auctore, qui Vitam elucubravit, diligentiore cura agendum est in Annotationibus num. 7. & 33.

Vetustus, & originalis Codex, ipseque Membranaceus in folio minori, ut inquit, ad inceptum quod excurrit seculum decimooctavum integer servatus est, ac ulla sine macula: postque annum ejusdem seculi decimotertium per incuriam nescio quam periisse credebatur, sed bonis utcumque avibus repertus fuit, paginis aliquot imminutus. Primus nempe Quaternio caret prima charta, & secunda, ac decima: ac integer desideratur quartus, qui Codicis postremus est. Nimirum inter Capita, in quæ Vitam ipsam secuimus, primum, & secundum periire, ac periit tertium ad illa usque verba, *abscondebatur occulte, quia tota attentio ejus fuit*. Ab iis etiam verbis, quæ in Capite nono leguntur post medietatem ejus, *facto signaculo crucis, dedit ei dicens*, deficiunt reliqua usque ad illa decimi Capitis sub initium, *adhuc ad eam eundem remittere nuncium*: ac periit demum pars maxima capitis vicesimi tertii post verba, *Et accipiens eum in manibus, ad Benvenutam fecit orationem*, cum insequentibus duobus postremis, vicesimoquarto, & vicesimoquinto. Hujusmodi supplere defectus omnes facile potuimus ex alio superius memorato recentiore Codice, quem *Bojanum* vocare liceat, cujusque exemplum servant etiam ipsi Fratres Prædicatorum Forojulienses. Vetusti primævi Codicis ætatem forma characterum, scribendique modus æqualem Benvenutæ præferunt.

Hanc Vitam italice vertit, italiceque translata typis Venetis edidit curavit *Mutius Sforza* anno M.D.LXXXIX. apud Nicolaum Moretti in 8. In Epistola Nuncupatoria *alli Molto Magnifici, Et illustri Signori Proveditori della Comunità, Et altri Nobili di Cividale del Friuli*, suam se adornasse versionem scribit ille, hortationibus permotum *R. P. Fr. Petri Franchini Tarvisini, tunc Venetæ Sancti Dominici Provincia dignissimi Prioris Provincialis*: quod ipse Franchinus munus gerebat anno 1586. ut ex Regesto patet in *Commentario nostro Hi-*

storico de Rebus Congregationis sub titulo Beati Jacobi Salomonii, in Provincia Sancti Dominici, Venetiarum erecta, typis Venetis Jo: Baptistæ Pasquali edito anno 1751. Capite IV. num. VIII. Adnotat ibidem Sforza, ab ipso Franchino se accepisse *latinum Vitæ codicem*, commodato abs nostris Forojuliensibus Sororibus a Cella datum, scriptumque ante annos trecentos, (*già trecento anni*). Quæ minus recte scilicet subductæ rationes videntur. Codicem namque illum anno circiter 1586. acceperat Vir illustris *Venetiis* italice vertendum: unde retro si numerentur *anni trecenti*, ad annum sine dubio æræ Christianæ pervenimus 1286. nimirum septem annis ante Benvenutæ obitum, qui anno demum 1292. contigit. Vetustum hunc invenire, ac videre Codicem non licuit.

Prævio duplici *Discursu* editionem ornavit idem Mutius: primo, *dell' Antichità, e d'alcune cose più notabili di Cividale del Friuli, patria della Beata Benvenuta*: altero, *dell' antica, & illustre Famiglia de' Bojani, da cui nasce la Santa*. In utroque vera fabellis immixta propinantur, quas nec recensere præstat, nec refellere. Pauca indicabimus in Annotationibus. Primum *Vitæ* caput aliquibus interpolatum est ipsius Translatoris additamentis, ad *Austriæ* nomen, quo Civitas insignitur, pertinentibus, ac fabulam certe narrantibus. Cum interpolatione incipit secundum etiam caput, ubi anni a Sancti Dominici obitu numerantur ad Benvenutæ natalia, ac ferrea catena memoratur, qua cinctos maceratosque lumbos tenebat Sanctissimus Pater: quæ minime scripsit Auctoris calamus. Tum vero in hoc loco, tum in primi Capitis additamento, *nata dicitur Benvenuta anno 1254* quem originalis codex annum non exhibet: ac potius insequentem fuisse 1255. inferius dicendum, diligentiore calculo subducto, num. 34.

Hanc eamdem laudati Viri *Versionem Italicam* iterum cudi *Utini* apud Schirattum anno 1681. in 4. fecit Jacobus Modonutti, qui curam animarum gerebat in Ecclesia Sancti Joannis in Xenodochio, & a Confessionibus erat *Sororum a Cella*. Venetæ primæ editioni addita est *Nuncupatoria* Modonutti *ad sorores*, ac *Ode Italica* de prima sacri loci origine. Ad annum 1266. hæc ibidem refertur: scilicet cum mendo, spectat enim ad annum insequentem 1267. ut num. 16.

Jo: Michael Pius, aut Plodius, in Opere inscripto, *delle Vite degli Huomini illustri di San Domenico*, Bononiæ typis edito M.DC.VII. in fol. Parte I. Libro III. inter *Illustres Germaniæ Fæminas*, quæ sub regula Sancti Dominici militarunt, collocat num. I. *Beatam Benvenutam Austriæ*, ejusque breve elogium texit. Errorem postea vidit, emendavitque in alio Opere, quod inscribitur, *della nobile, e generosa progenie del Padre San Domenico in Italia*, excuso Bononiæ 1615. in fol. In libro II. capite XLII. ubi de primordiis, ac fun-

da.

datione Cœnobii Forojulienſis agitur, ſic ait Pius circa finem. „ *Suor*
 „ *Benvenuta Bojani*, detta da alcuni la *Beata Benvenuta d' Austria*:
 „ dal qual modo di nomarla, non avendo io veduto per anco, perchè
 „ la *Città di Cividale* poſta nel Friuli, ſi dimandaffe d' *Austria*, la
 „ ſtimai veramente *Tedeſca*, & *Auſtriaca*; onde nel primo Tomo
 „ degli *Huomini illuſtri* al terzo libro, deſcrivendo compendioſamen-
 „ te la vita di lei la poſi tra le *Beate Germane & Auſtriache*. “ Pro
 indubio exploratoque tene, *Civitatem Forijulii* ab ævo Langobardo-
 rum dictam frequentiffime legi *Civitatem Auſtriam*, aut *Civitatem*
Auſtriæ. Regnum nempe ſuum in Italia duas in partes tribuerunt
 Barbari: in *Auſtriam*, ſcilicet partem *Orientalem*, & in *Neuſtriam*,
 partem *Occidentalem*. Hinc vero Civitas Forijulii frequentius appel-
 lata *Auſtria*, ideſt *Orientalis*; vel *Auſtriæ*, ideſt regionis in Regno
 Italico *Orientalis*. Rem adnotarunt, & egregie expoſuerunt. Viri do-
 tiſſimi, *Juſtus Fontaninus*, poſtea Archiepiſcopus Ancyranus, in Epi-
 ſtola delle *Mafnade* num. 3. *Philippus a Turre*, poſtea Epico-
 pus Adrienſis, in Diſſertatione de *Colonia Forojulienſi*, iterum laudatus
Fontaninus, in ejuſdem *Philippi a Turre Vita*, novæ Romanæ Mo-
 numentorum *Veteris Antii* editioni præmiſſa, aliique. Hanc nos et-
 iam ſpartam ornavimus in *Monumentis Eccleſiæ Aquilejenſis*, & in ci-
 tato *Commentario Hiſtorico de Rebus Congregationis Cc.* Annota-
 tiones conſule num. 1.

Quatuor integris capitibus *Vitam Benvenutæ* deſcribit Pius in Ope-
 re citato, *Della Progenie*: quam iterum cudi fecit in ſecunda prioris ope-
 ris, degli *Huomini illuſtri*, editione Bononiſi anno 1620. in folio,
 libro I. num. 239. Unde quæ narrat, hauſerit ipſe indicat in calce
 Capituli XLVI. *Scriffero*, inquiens, *la Vita di lei Fra Serafino*
Razzi, *& anche prima di lui, come credo, Mutio Sforza più a*
tungo, e più diſtintamente, dal quale ho cavato, quanto finora ho
detto. In eo, quod credebat, deceptus eſt ſine dubio.

Copioſiorem quidem Benvenutæ Vitam, imo italicam *latinæ Vitæ*
 translationem vulgavit *Mutius Sforza*; ſed huic prævit *Seraphinus Ra-*
ctius, Vitæ quodam compendio in lucem emiſſo. Opus ejus extat in-
 ſcriptum, *Vite dei Santi, e Beati del Sacro Ordine de' Predicatori*,
coſi Huomini, come Donne, Florentiæ apud Bartholomæum Sermar-
 telli editum anno 1577. in 4. undecim ſcilicet annis, antequam itali-
 ca *Sforzæ* Verſio in lucem prodiret. Pars Operis ſecunda *Vitam* ex-
 hibet pag. 101. della *Beata Benvenuta della Città d' Austria nel*
Friuli. Latinam Virginis noſtræ vitam vidiffe non videtur *Ractius*:
 Vitæque breve quoddam compendium offert, quod fortasſe a noſtris Fo-
 rojulienſibus acceperat, aptavitque ad linguæ hetruſcæ regulas. Erro-
 rem, in quem incidit ipſe, *Sorores a Cella* exiſtimans *tertiſ Ordinis*,
 amen-

emendabimus infra num. 16. En vero fons patet, tum breve vulgatum a *Raffio* Compendium, tum copiosior italice a *Mutio Sforza* translata Benvenutæ Vita, quem unum adire potuerunt, quotquot se-
quiore ætate Virginis probatissimæ gesta aut latiore sermone, aut com-
pendio collegerunt. Eorum nomina, & Opera dabimus num. 48.

Benvenutæ innocentiam a primis annis hæc prodit ejus Vita, ac
virginalem candorem, studium orationis & meditationum, prolixa je-
junia, severas corporis afflictationes, animi sacros ardores, omniumque
virtutum exquisitissimum cultum. Sed cælitus concessa miraculorum,
prophetiæ, revelationum, mentis excessuum, visorumque cælestium do-
na, ac hujuscemodi charismata alia, amplo copiosoque sermone pro-
more qui ea vigeat ætate, ac deinceps obtinuit, majori Vitæ parte
insumpta, enarrat Auctor. Hæc in Sanctorum Actis aut nimium so-
brie indicata, aut etiam omnino prætermissa vellent morosi fastidio-
sique Censores: eademque despiciunt carnales homines, qui mirabiles
non percipiunt Summi Dei in Sanctis animabus intimas, exterioresque
operationes. Ea nos intacta relinquimus omnia, damusque uti sunt in
Vita, ab homine vere spiritali juxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ magi-
sterium intelligenda, ac judicanda.

Annotationibus Vitam ipsam communire licuit, quæ varii generis
argumenta plura pro data occasione illustrent. Non parum Operæ in-
sumitur in explicandis antiquitatibus maxime Foro-Julien-sibus, idest Ci-
vitatibus Fori-Julii, aut Civitatibus Austriæ: idque ut agerem, ipsa Vitæ
conditio postulavit. Bojanæ Familiæ nobilitas, antiquitas, ornamenta
non pauca indicantur, ac perillustres recensentur viri aliqui, delineatur-
que Stemmatibus genealogici pars, quæ ad Beatæ Benvenutæ tempora
spectat, vetustis Membranis adhibitis, quæ in Familiæ Tabulario, &
in Archivo-Canonicorum, ac nostro servantur. Documenta demum af-
fero sacri cultus, quo Virginem probatissimam post ejus obitum fide-
lium pietas prosequuta est; quæ dum refero, Sanctissimi Urbani Papæ
VIII. ac Romanæ Ecclesiæ decretis obsequens, non alia fide propono
accipienda, nisi quam mereri potest humana historia.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Benvenuta natiuitas, infantia, pietatis officia. Maria, Soror ejus.

CAPUT II.

Vita austerior. Votum virginis. Peculiaris erga Sanctum Dominicum observantia. Fr. Conradus Confessarius.

CAPUT III.

Jejunia. Calitum apparitiones. Ecclesiam Sancti Dominici frequentat. Benvenuta. Fuga obsecrationum.

CAPUT IV.

Diabolica praestigia, & infestationes. Patientia Virginis, fortitudo, victoria.

CAPUT V.

Caelestes consolationes, quas afferunt Beati Spiritus, frequentius comparentes.

CAPUT VI.

Membrorum tremore, difficili respirazione, ac siderationis morbo laborat. Invieta patientia. Votum Deo nuncupat in honorem Sancti Dominici. Sanitatem recipit. Frater ejus militia addictus, cujus nomen reticetur: qui scilicet in dissidio postea interfectus est.

CAPUT VII.

Votum solvit. Iter Venetias, ac Patavium, ubi se illi obviam tulere Fr. Conradus Confessarius, & Fr. Jacobus frater ejus, ac demum Bononiam ad Sancti Dominici Sepulcrum. Reditus.

CAPUT VIII.

Cum Sororibus Dominicanis consuetudo in Monasterio a Cella. Iterum diabolica infestationes, ac caelestia visa.

CAPUT IX.

Miracula in eodem Monasterio, Benvenuta precibus, a Deo patrata.

CAPUT X.

Mirabili cibo, plures annos, ab Archangelo Gabriele reficitur: quares post obitum ejus coram populo a suggestu narratur a Fr. Conrado Confessario.

CAPUT XI.

Oblatis suffragiis, Deo propitio, liberat a purgatoriis poenis animam Fratris in dissidio interfecti, ac patris Conradi, dicti Bojan, & Abbatis Mosacensis, aliorumque. Ejusdem Benvenuta Sorores.

CAPUT XII.

Revelationes aliquae, a Jesu Christo, & a Virgine Deipara factae.

CA-

CAPUT XIII.

via ad mortem. Celestes apparitiones. Obitus.

Alia revelationes, facta ab Angelis, ac Spiritibus Beatis.

CAPUT XX.

CAPUT XIV.

Revelatio de Passione Domini. Alia revelationes divinitus facta.

Funus, & depositio in sepulcro familia ante fores Ecclesia Sancti Domini, Fr. Conradi Confessarii consilio. Pautus, Benvenuta frater.

CAPUT XV.

Benvenuta spiritu prophetia donata. Futura pradicat, ac pandit secreta cordium.

CAPUT XXI.

Faces, & luminaria divinitus accensa super, & circa tumulum ejus.

CAPUT XVI.

Sororis a Cella munia, licet absens, visibili modo supplet.

CAPUT XXII.

Miraculosa morborum sanationes.

CAPUT XVII.

Raptus frequentes, itemque Ecstases.

CAPUT XXIII.

Miracula in Monasterio Sororum a Cella, & in Benedictino Sanctimonialium Monasterio Majori.

CAPUT XVIII.

Alii Raptus, aliaque Ecstases, & visiones: eorumque omnium causa.

CAPUT XXIV.

Sanationes & alia quamplures miraculose.

CAPUT XIX.

Mori cupit, & exauditur. Signa pra-

CAPUT XXV.

Fides dictorum.

VITA

V I T A BEATÆ BENVENUTÆ B O J A N Æ

De Civitate Austria in Provincia Forijulii.

C A P U T I.

*Benvenuta nativitas, infantia, pietatis officia.
Maria soror ejus.*



Vit (1) in Civitate Austriæ de Foro-julii quædam Virgo devota, devotis, & honestis nata parentibus; in cujus (2) nativitatis die, quæ fuit in Festo S. Floriani, qui fit in Festo Coronæ Dominicæ, occultabatur ejus ortus (3) Patri suo carnali; timendo enim, eum contristare, nemo audebat manifestare, quod puella sibi nata esset, cum sex alias haberet filias, & nullum masculum. Quod cum Pater adverteret, cœpit omnes hortari, quod secure creaturæ sibi natæ panderent veritatem: cum autem sibi dictum fuerit, quod uxor sua sibi filiam peperisset, cum gaudio & alta voce respondit: *Et ipsa sit bene venuta, & vocetur Benevenuta.*

Hæc ab infantilibus annis cœpit vanitatem mundi, & carnis delicias non solum oblivisci, sed etiam nescire; perpetuumque cum Deo, & Angelis, & Sanctis firmare consortium. Cum ei a sorore sua quadam carnali caput ejus gaudeolis, & friseis ornaretur, ut iret in publicum ad choreas, & vanitates alias puellarum, post recessum sororis deprensens omnia capitis ornamenta, caput suum peplo velabat; petens secretum orationis locum, quod sibi elegerat post domum suam in viridario suo versus Ecclesiam Beatæ Virginis, (4) quæ est sita in vertice montis altissimi: ubi ex frequenti genuflexione, & ex multis veniis, quas quotidie valde fatigabiles faciebat, terra erat adeo herbarum viriditate vastata, & indurata, cum circumquaque viriditas esset non modica, velut semita frequenti deambulatione hominum conculcata. Quando vero propter aeris intemperiem, vel aliam causam rationabilem, orationem, quam sibi statuerat, complere nequiverat, in-

B

trabat

trabat in secreto cubiculum suum, in quo (5) jacebat cum sola forore sua nomine *Maria*, quæ ipsam in Virginitatis proposito sociabat, & clauso ostio Patrem suum orabat in abscondito: ubi tam in die, quam in nocte contemplationi, orationibus, & vigiliis vacans vitam ducebat angelicam, & non humanam.

A septimo enim anno usque ad duodecimum, ad honorem Sanctæ Trinitatis centum *Pater noster*, & totidem *Ave Maria* dicebat quotidie, & totidem etiam venias faciebat ob reverentiam Nativitatis Dominicæ; similiter etiam ad honorem resurrectionis Domini N. Jesu Christi. Ad honorem vero Beatæ Virginis omni die dicebat mille *Ave Maria*; sed omni Sabbatho dicebat duo millia. In Festo autem Annunciationis, quod suum erat specialissimum Festum, tria millia dicebat *Ave Maria*, & quingentas faciebat venias profundas quam fatigabiles valde. Ad honorem autem Angelorum centum *Pater Noster*, (6) & totidem *Ave Maria* dicebat quotidie. Ad honorem autem Apostolorum similiter faciebat: idem etiam ad honorem Patriarcharum: similiter etiam ad honorem Martyrum: idem etiam ad honorem Confessorum, & Sanctarum Virginum, præter jejunia, & alias abstinentias, quas faciebat.

ANNOTATIONES.

(1) Fuit in Civitate Austriæ de *Forijulii*. Hoc loco *Forumjulium* est nomen Provinciæ, vulgo *Friuli*, in Dominio Reipublicæ Venetorum, olim in ditione Patriarchæ Aquilejensis. Eo *Forijulii* nomine priscis temporibus vocabatur ipsa Civitas: quæ ævo medio *Austria* dicta est. Verba sunt Pauli Diaconi, ejusdem Urbis civis, Lib. II. de Gestis Langobardorum Capite XIV. *Hujus Venetiæ Aquileja Civitas exstitit caput, pro qua nunc Forumjulii, ita dictum, quod Julius Cæsar negotiationis forum ibi statuerat, habetur.* Venantius Fortunatus Libro IV. de Vita Sancti Martini, his carminibus Librum suum adloquitur:

Hinc pete rapte vias, ubi Julia tenditur alpes

Altius consurgens, & mans in nubilata pergis:

*Inde Foro, Juli de nomine Principis, exi
Per rupes.*

Paulinus, Aquilejensis Patriarcha, in Concilio, quod anno 796. in eadem Civitate celebravit in *Causa Sacrosanctæ Trinitatis, & Incarnationis Verbi Domini*, sic ait in Actorum præfatione: „ Anno igitur felicissimo Principatus eorum (*Caroli, & Pipini*) tertio & vicefimo, „ & quintodecimo, canonicis siquidem evocatum syllabis fraternum „ quorundam Episcoporum contubernium, *Forumjulium municipium, Metropolim Aquilejensem, veneranter* „ „ ter coacervatum convenit. „ Insignitum *Metropoleos Aquilejensis* nomine *Forumjulium municipium* intellege, quod post Aquilejam excisam eo postea in loco sedem tenebant Patriarchæ,

Idem

Idem locus apud laudatum Diacolum, & scriptores octavi, noni, & decimi seculi, passim nuncupatur *Civitas Foro-Juliana*, *Oppidum Forijulii*, *Castrium Foro-Julienſe*, ac *Civitas* absolute. Sed ab ipſo etiam Langobardorum ævo *Civitas Austria*, vel *Civitas Austria* regionis vocari cœpit: quæ ſequiore ætate maxime invaluit appellatio. Vetuſtam Chartam ſervant Sanſtimoniales, ſub regula Sancti Benedicti in eadem Civitate militantes Jeſu Chriſto, ſcriptam anno Domini Incarnationis milleſimo nonageſimo ſeptimo, XII. die Maji, Indictione quinta, in qua hæc habentur. *Petimus nos Pecemanus, & Johannes, una cum noſtris heredibus, a te Hermingarda Abbaſſiſſa de Monasterio Sanctæ Mariæ in Valle Civitatis Austria.* Hanc eandem eſſe Civitatem cum *Forojulio*, ſeu *Civitate Forojulienſi*, docet antiquius Diploma *Hludovici, & Hlotarii Imperatorum*, ad Maxentium Patriarcham datum, *Nimaga Palatio*, anno 830. æræ vulgaris, in quo idem puellare Monasterium conſtructum dicitur *infra muros Civitatis Forojulienſis, in loco qui dicitur Vallis.*

Nimirum pro certo habendum eſt, tum Civitatem hanc, tum regionem ſeu Venetiam continentem pertinuiſſe ad *Austriam*, quam Langobardi alteram fecere Italici Regni partem, a *Neuſtria* diſtinctam: nomen vero prius a voce Teotiſca ſumi, *Oeſter*, quæ *Orientem* ſignificat, ac poſterius a voce, *Weſter*, ſignificantem *Occidentem*: adeoque *Civitatem Austriam* dictam, ideſt *Orientalem*, ac etiam *Civitatem Austria*, ideſt regionis, aut partis *Orientalis*. Hæc latiore ſermone illuſtrantur omnia in *Monumentis Eccleſiæ Aquilejenſis*, typis editis anno 1740. fol. & in *Commentario Hiſtorico de Rebus Congregationis, ſub titulo Beati Jacobi Salomonii in Provincia Sancti Dominici Venetiarum erectæ, Venetiis im-*

preſſo anno 1751. 4. Capite V. num. V. Vetuſtiſſimum documentum addo, quod *Austria* nomine inſignitam Forijulii Provinciam pateſcit, ſimulque novam annorum Caroli Magni epocham. Ad Abbatiam *Sexti* pertinet illud, intra fines Concordienſis Diœceſeos conſtitutam, erectamque anno 762. Verba ſunt: *In nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Regnante Viro excellenti Domino noſtro Carolo Rege, ex quo Austriam præoccupavit, anno tertio. De menſe Januario per Indictionem primam, ſeliciter . . . Ego Maſſelio, præſtante Domini miſericordia Dux . . . donator, & offertor, &c. Indictio prima annum æræ chriſtianæ 778. indicat. Cum menſe Januario ejusdem anni concurreret juxta fidem Documenti annus tertius Caroli Magni, ex quo Austriam occupavit: unde poſt Januarium anni 775. annus ille tertius incepit. Epochæ eſt a duabus diſtincta: quarum prima ſumitur ab anno 773. & altera ab anno 774. Ad hunc annum in Fragmento Annalium Francicorum apud Caniſum legimus: *Longobardis venientibus de Civitatibus Italiae, ſubdididiſſe ſe in dominio glorioſi Caroli.* Hinc ergo *Ruotgaudus*, qui Forojulienſem Ducatum tenebat, anno cœpto & labente 775. ad Carolum venerit, eique fidem juraverit ac obedientiam. Rebellaſſe poſtea Ducem Langobardum, interfectumque a Carolo, narramus in Monumentis Aquilejenſibus Capite XXXVIII.*

Appellationem *Austriæ* abs *Rofimunda*, Luitprando Langobardorum Regi nupta, ex progenie, ut inquiunt, *Principum Austriacorum* ſata, erga loci hujus cives maxime benevola, ineptientes deſumpſerunt Scriptores aliqui: ipſamque fabellam fecit ſuam Mutius Sforza in *Vita Beata Benvenuta*, quam italice vertit, *Capite primo*, aliquibus ejusdem Scriptoris ad-

ditamentis interpolato. Hac etiam de re consule Opera nostra citata duo. Sequiore tempore alia subiit hæc Civitas nomina *Civitati*, *Cividati*, *Cividale*. Vocari etiam cum addito consuevit *Cividale del Friuli*, ut ejus discrimen ab alia Civitate in Marchia Tarvisina innotesceret, *Cividale di Belluno*. Eo appellatam modo legimus in Diplomate FridERICI II. Imperatoris in Bullario Cassinensi Tomo II. num. 252. Datum est anno Nativitatis millesimo ducentesimo trigesimo secundo, indictione quinta, die tertio exeunte Martio, (seu die 29.) & Actum in Civitate de Friule, in Camera Palatii Domini Patriarchæ. Utino, Civitate jam totius Provinciæ Metropoli, octo circiter milliaria distat ad ortum æstivum.

(2) In cujus Nativitatis die, quæ fuit in Festo Sancti Floriani, qui fit in festo Coronæ Dominicæ. Dies est quarta mensis Maji, in Martyrologiis & Calendariis Sancto Floriano Martyri sacra. Eadem die in Ordine Fratrum Prædicatorum, cujus alumnus erat Vitæ scriptor, celebrari Festum Coronæ Dominicæ consueverat. Vetus sum possideo Breviarium, seu Psalterium Ms. secundum Ordinem Fratrum Prædicatorum. In Calendario præmisso ad Diem IV. Maji hæc habentur: IV. Nonas (Maji) Festum Coronæ Domini. Consonant antiquiora Necrologia duo, quæ servant Nostres Forojulienses: in quibus ad IV. Nonas Maji adnotatur idem Coronæ Domini Festum. Officium in Breviario legitur, quod hodie recitant ejusdem Ordinis alumni, Festi translatione facta ad diem septimam ejusdem mensis. Rubrica etiam ibidem habetur in hæc verba: Si Festum Sanctæ Crucis in die Ascensionis evenierit, in sexta Feria celebratur: & festum Coronæ in Sabbatum transferatur.

Bollandi Continuatores ad eandem diem IV. Maji in *Prætermiſſis* hæc adnotant: „ *Coronæ Spineæ Domini nostri Jesu Christi Festum*, seu commemoratio, celebratur in variis Ecclesiis, & refertur in *Breviario Ordinis Teutonici*, & de *Mercede*, item in *Missali Septentrionali*, in *Martyrologio Ms. Pragenſi*, & *Florario*, in *Siculo Cajetani*, alioque *Colonia*, & *Lubeca* anno 1490. excuso, necnon in *Auctario Greveni* ad *Ufuardum*. In aliquibus dicitur Festum *Lanceæ*, *Coronæ spineæ*, & *Clavorum*, aut *Sindonis*. Quod indicasse, ad institutum sufficit. Accuratiores proferre, dispendium operæ non fuerit.

Ac primum quæ Bollandiani adnotant, minus convenire videntur cum iis, quæ de Festo, & Officio *Lanceæ Domini* tradidimus in Dissertatione de *Vetustis Liturgiis*, aliisque Sacris Ritibus, qui vigeant olim in aliquibus Forojuliensis Provinciæ Ecclesiis, typis Venetis apud Simonem Occhi anno M.D.CC.LIV. edita in 4. simul cum alia Dissertatione de *Turrano*, seu *Tyrannio Rufino*, *Monacho*, & *Presbytero*. Festi enim de *Lancea Domini* originem ad Caroli IV. Imperatoris tempora referendum esse, adnotavimus Capite XV. num. I. cum Henrico Rebdorfio ad annum M.CCC.L. Qua de re Pontificium Innocentii VI. diploma, *Avenionæ datum Id. Februarii anno secundo*, Christi 1354. refert Odoricus Raynaldus num. 18. ubi *Regis Caroli IV. Supplicationibus Pontifex inclinatus, Apostoli auctoritate statuit, & etiam ordinat, quod . . . de præmissis Lanceæ, & clavis, & sub eorum vocabulo proprium Festum cum speciali officio . . . sexta Feria post Octavam Resurrectionis Dominicæ in Alemannia & Boemæ partibus perpetuo solemniter celebretur*. Idem Festum, & Officium

rece-

receptum fuisse in Ecclesia Aquilejensi, ac Civitatensi; constat ex Missali Aquilejensi, typis edito anno 1517. die 5. Augusti, Venetiis ex Officina litteraria Petri Liechtenstein: adscriptumque notatur post *Feriam secundam* Dominicæ primæ post Pascha, seu in Octava Paschæ, his verbis: *de Lancea Domini*, introitus &c. Jam vero integro seculo ante solemnitatem *de Lancea Domini*, celebrari *Festum Coronæ Domini* in Ordine Prædicatorum consueverat, idest anno 1255. quo natam esse Beatam Benvenutam, infra dicendum est num. 34.

Ejusdem Festi alia est origo a *Festo Lancea Domini*. Sacram enim Spineam Coronam, a Ludovico IX. Francorum Rege sancto redemptam multo pretio, & in sacro Parisiensi Sacello collocatam, narrant vetusti, & recentes Historici. Vide Spondanum ad Annum M.CC.XXXVIII. a num. V. & Gerardum Dubois in Ecclesia Parisiensi Tomo II. pag. 347. & Bollandi Continuatores ad Diem XXV. Augusti in Commentario Prævio Viæ Sancti Ludovici §. XXX. Hinc origo festi, aut latior ejus extensio. Angelus Manrique adnotat in Annalibus Cisterciensibus Tomo III. ad Annum M.C.LXXXIII. Capite III. num. 2. *Festum Spineæ Coronæ* in Cœnobiiis Regni Franciæ Cisterciensibus anno 1240. admissum fuisse, decreto lato his verbis: *Festum Spineæ Coronæ celebrandum ordinatur in Abbatibus Regni Franciæ ad requestam Regis*. Simile in Ordine Prædicatorum eodem circiter tempore decretum latum fuerit: quod attamen in Actis Comitiorum Generalium non compareret. In Generali Capitulo, quod anno 1252. celebratum fuit, legitur num. 9. *Totum Officium, tam diurnum, quam nocturnum, secundum ordinationem ultimo traditam Metis 1251: in Capitulo Generali, communiter per*

totum Ordinem observetur. Hinc vero Festum, & Officium *Coronæ Spineæ*, aut *Coronæ Dominicæ* per totum Ordinem propagatum fuerit: illudque anno 1255. quo nata est Beata Benvenuta, sine dubio celebrari consueverat.

(3) *Ejus ortus occultabatur Patri suo carnali Nemo audebat manifestare, quod puella sibi nata esset, cum sex alias haberet filias, & nulum masculum . . . cum gaudio, & alta voce respondit: & ipsa sit benvenuta, & vocetur Benevenuta*. Septimæ puellæ impositi *Benvenuta* nominis causa patet. Pater ejus vocabatur *Conradus*, agnomenque habebat *Bojani*: quod perillustri Familæ deinceps cognomen fuit, ut latiore sermone dicemus num. 5. & 21. Masculi postea *Conrado* filii nati sunt, quos memorat Auctor *Vitæ*, quam illustramus. Vide n. 14. & 15. ac 37.

(4) *Versus Ecclesiam Beatæ Virginis, quæ est sita in vertice montis altissimi*. Montis verticem, quinto circiter a Civitate lapide Orientem versus distantem, ornat Castellum, in quo ab antiquis temporibus Templum erectum Deo fuerat in honorem Virginis Deiparæ. Vetusta sacra *Mariæ* icon a Statuario efformata colitur: unde locus appellatur *Sancta Maria de Monte*. Ejus mentio habetur in Diplomate *Volrici Dei gratia Sanctæ Sedis Aquilegiensis Patriarchæ*, quod actum est anno *Dominicæ Incarnationis M.C.LXXV. Indictione VIII. XV. Kal. Junii*, in ipsa Civitate *Austria*. Castellum suberat olim Civitatensi Præposituræ Sancti Stephani: qua postea extincta, in jus transit Canoniorum insignis Collegiæ Sanctæ Mariæ. Vide Monumenta Ecclesiæ Aquilejensis capite LXIII. num. 2. Statis anni diebus frequentissimi ex Provincia Forojulienfi populi, publicis inditis supplicationibus, conflunt in sacrum

crum locum: & hunc Benvenuta, cum esset in viridario domus, in conspectu habens, Mariam Virginem precibus, & genuflexionibus colebat.

(5) In quo [cubiculo] jacebat cum sola sorore sua, nomine Maria, quæ ipsam in virginitatis proposito sociabat. Soror Benvenutæ innotescit, Maria nomine appellata. Alias peculiari mentione infra memorat sorores duas Auctor vitæ: alteram Deo militantem in Monasterio Majori, seu Sanctæ Maria in Valle, sub Regula Sancti Benedicti: copulatam alteram matrimonio. Aliorum sororum nomina dabimus infra num. 22. & 23. Mariæ prudentia, dexteritas in agendis, sanctissimique mores indicantur in Vita. In vetusto Necrologio primo, quod servant Forojulienses Prædicatores, hæc habentur: C. II. (pridie) Nonas Aprilis (die 4. ejusdem Mensis) M.CC.LXXXVIII. obiit Maria, filia dicti Bojani. Consonat Necrologium secundum, quod partim ex primo sumptum est, ac partim offert alios obitus. Bojanus iste clarius innotescit ex verbis, quæ in eisdem Necrologiis ad eam diem præcedunt: C. II. Nonas Aprilis. Anno Domini M.CC.LXXX. Dominus Conradus, dictus Bojan, obiit. Evidentissime patet, Benvenutam, & Mariam sorores Patrem habuisse Conradum, qui dicebatur Bojan. Vide num. 21.

(6) Centum Pater noster, & totidem Ave Maria dicebat. Peculiares, prolixas, ac laboriosas precum formulas, quibus Benvenuta sese statim diebus exercebat, narrat Auctor. Infra capite xxiii. Soror quædam Monasterii a Cella, si de sua stomachi infirmitate meritis Benvenutæ curaretur, sanctitatem ejusdem cum mille Ave Maria, & totidem veniis honorare proposuit. Item soror alia Benedictini Parthenonis, ut adjutorium Benvenutæ impetraret, promississe le-

gitur, se in ejus honorem dicturam esse Psalterium unum, & in fine cujuslibet Psalmi unum Ave Maria. Hicce in precibus ad numerum repetitis ne facile aberraretur, adhibebantur calculi, aut globuli invicem colligati, qui appellari consueverant Pater noster. Legimus capite xxii. Devotam Matronam, gravi morbo laborantem, recordatam esse, quod haberet quædam sua (scilicet Benvenutæ) Pater noster, in una cordula posita &c. aliquot nempe globulos prædictos.

In usu erant ævo illo hujusmodi preces. Apud Bollandi continuatores, ad diem vii. Aprilis, in Actis Sancti Ayberti Presbyteri Reclusi, capite 2. num. 14. hæc habentur: Centies in die flectebat genua, & quinquagesies prostrato corpore . . . in unaquaque flexione dicens: Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ad cælum evolavit Vir sanctus anno 1140. Apud eosdem Scriptores, ad diem xxiii. Junii, in Vita Beatæ Mariæ Oigniacensis, quæ anno 1213. vita mortali migravit, narrat Jacobus de Vitriaco Libro 1. capite 3. num. 29. Per diem, & noctem millies & centies flectendo genua, Beatam Virginem salutasse: & totum Psalterium super pedes stando legentem, per singulos Psalmos flexis genibus Beatæ Virginis salutationem Angelicam obtulisse. Ac demum ad diem xxviii. Januarii, in prima Vita Beatæ Margaritæ Hungaricæ Ordinis nostri capite 5. dicitur Virgo pientissima in vigilia Nativitatis Christi millesies Pater noster, & in vigilia Pentecostes millesies Veni sancte Spiritus, & in quatuor vigiliis Beatæ Mariæ Virginis millesies Ave Maria cum totidem prostrationibus recitasse. Mortem obiit Margarita anno 1271. Nemo vero colligat inde, non alias eadem ætate, apud

apud fideles, ac in Ordine nostro, breviores, minusque laboriosas in usu fuisse preces, quas frequentius & quotidie funderet Benvenuta. Toto erraret ostio, qui sic ratiocinaretur, & contenderet.

Collige, primam *Orationis Angelicæ*, quam modo recitamus, dici partem solummodo consuevisse. Rem manifestat locus Sancti Ayberti Presbyteri Reclusi. Argumentum addit Vita Benvenutæ capite xii. ubi hæc habentur: *Scis tu, Ave Maria?* (puerulum, qui sibi conspiciendum præbuit, & erat Jesus, interrogabat.)

Et ille respondit ei, & tu scis Ave Maria? Et respondit ei, scio. Tunc ille dixit ei, modo dic tu. Et cum illa dixisset: Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus. Ultimo verbo prolato, ille respondit: ego sum ille. Et hoc dicto, statim evanuit. Consule Joannem Mabillonium Præfatione in Seculum V. Ordinis Sancti Benedicti num. cxxiii. ac nostram Dissertationem VIII. De parvis Commentariis, quos elucubravit Sanctus Thomas, in aliquas divinarum Scripturarum particulas, cap. 2. n. 1.

C A P U T II.

Vita austerior. Votum Virginitatis. Peculiaris erga S. Dominicum observantia. Fr. Conradus Confessarius.

A Duodecimo anno celicium portavit sex annis & dimidio. Catenam portavit super nudam carnem duobus annis. Simili modo duobus annis fuit cincta funiculo super nudam carnem, qui processu temporis propter augmentationem corporis ita intraverat carnem suam, quod in continuis, & maximis eras afflictionibus, quia eum non poterat remove sine incisione carnis. Nolens autem hoc alicui manifestare, ad consuetum se contulit orationis refugium, ut Dominus eam adjuvaret in tanta necessitate. Et ecce spiritus ejus raptus est extra carnem, sicut sibi sæpissime contingebat: postquam vero ad carnem reversus est spiritus, in nulla parte ruptum ante faciem suam projectum invenit funiculum.

Apparenti autem sibi Beatæ Virgini vovit suam Virginitatem, & accepit eam pro Domina sibi; & versa vice Beata Virgo accepit eam pro sua filia spirituali. Cum Beato Dominico etiam apparenti sibi similem composuit pactionem. Unde intelligens abstinentias, & vigilias Beati Dominici, & corporis castigationem, toto posse studuit vitam suam vitæ Beati Dominici conformare; propter quod decem annis, & ultra vinum non bibit: & hoc occulte, patre suo, & familia ignorante. Videbatur ei interdum bibere vinum, & non bibebat; vinum etiam multoties abscondebat. Carnes etiam multo tempore non comedit. Plurimas noctes insomnes ducebat, & specialiter illas, in quibus erant festivi-

stivitates præcipuæ: & quando in illis opprimebatur a somno, ne dormire posset, agrestum, vel acetum ponebat in angulo oculorum.

Multis etiam annis lectum non habuit ad jacendum; sed super nudam terram, lapide supposito capiti, aliquando somnum modicum capiebat: contemplationi, & orationi tempus reliquum impendendo.

Tres more Beati Dominici omni nocte accipiebat cum ferrea catena disciplinas. Cum autem processu temporis nimium fuisset in dorso læsa de talibus disciplinis; apparuit ei Beatus Dominicus, qui alias sibi pluries familiariter apparebat, dicens: *Quod hoc significaret Confessori suo* (7) *Fratri Conrado, & secundum consilium ejus se regeret in hoc facto.* Sed cum (8) ad Ecclesiam venisset sequenti die, ut hoc compleret, a nimia verecundia frenata, dicto Confessori suo minime revelavit. Quare secundo, & tertio apparuit ei B. Dominicus increpans eam, quod non dixerat, ei injungens, quod hoc ei penitus manifestare festinet. Insuper dixit ei B. Dominicus: *Scire debes, quod est divinitus ordinatum, quod tu in hoc tempore nascereris, & ipse Ordinem intraret Fratrum Prædicatorum, ut secundum ordinem ejus dirigas vitam tuam: & tibi bene erit pro eo, & pro te sibi bona succedent.* Et ita coacta ad Confessorem perveniens, & multam sibi vim faciens, cum multis lacrymis omnia revelavit, & suis consiliis acquievit. Confessor autem suus Fr. Conradus accepit ab ea catenulam, & postea tenuit eam semper, & prohibuit sibi, ne unquam sibi daret similes disciplinas.

ANNOTATIONES.

(7) *Quod hoc significaret Confessori suo, Fratri Conrado, & secundum consilium ejus se regeret.* Viri probatissimi nobile genus ostendendum est: tum ejus perillustis familia inquirenda: ac demum discutiendum, num *Vita* auctor fuerit. Nobile genus ejus hæc verba patefaciunt, quæ in *Vita* habentur capite xxiv. *Fuit quedam Domina nobilis, & devota, Palma nomine, in quodam Castro, quod distat a Civitate (Austria, seu Forijulii) per xv. milliaria, quæ Benvenata familiaris fuerat* Erat enim Fratris Conradi, Confessoris sui (Benvenutæ) Soror carnalis. Sororis nobilitas nobilitatem Fratris Conradi evincit. Quod-

nam fuerit *Castrum* illud, ubi *Palma* manebat, ignotum mihi: sunt enim plura, quæ *milliaria quindecim* præter propter a Civitate distant *Minorum Castella*. Viro junctam eam fuisse, adeoque in *Castro* Viri habuisse domicilium, colligimus ex eodem *Vita* loco, ubi legimus: *quod Vir suus assistens ei &c.* Et vocata *filia sua*, fecit sibi *afferri &c.* Et capite obviare maritus & frater ejus Conradus, qui tunc erat ibi.

Vitam in Cœnobio Forojulensi egisse hoc tempore Fratrem Conradum de Castillero, addiscimus ex monumentis, quæ mox adducenda sunt. *Castilleriorum* gens nobilissima erat,

sic

sic appellata à nomine Castri, quod incolebant Viri proceres, tenebantque titulo Feudi cum iurisdictione. In vetusto Necrologio primo apud Forojulieneses Fratres Prædicatores hæc habentur: *A. XI. Kal. Novembris* (die 22. Octobris) *Anno Domini M.CC.LXXXXVIII. Obiit Frater Conradus de Castillerio bonæ memoriæ Ordinis Fratrum Prædicatorum . . . A. XVI. Kal. Madii* (die 16. Aprilis) *M.CC.LXXI. obiit Domina Adeleyta de Castillerio, mater Fratris Conradi . . . A. IX. Kal. Madii* (die 23. Aprilis) *M.CC.LXXXV. obiit Philippus de Castillerio, frater Fratris Conradi. Hunc ergo Conradum de Castillerio conscientiam Benvenutæ direxisset, suadere videntur nomen idem, temporum convenientia, generis nobilitas, ac illustris ejusdem mentio in Necrologio Forojulienfi, aut Civitatensi.*

In secundo Necrologio ad diem v. Januarii legimus: *E. Obitus Domine Palmæ de Castillerio, quæ obiit M.C.CC.LXXXI. In eodem etiam, & in primo: A. XI. Kal. Novembris* (die 22. Octobris) *Anno Domini M.CCC.LXXIII. obitus Domina Palmeriæ de Castillerio, uxoris Domini Ottachi. Pro ejus anniversario fiendo recipimus 1. Marcham denariorum: & pro anniversario fiendo pro patre suo Morando de Castillerio, & matre sua Domina Zubertha de Cormons . . . & marito suo primo Domino Andrico de Cormons. Ab utraque diversam esse Palmam, quæ soror erat Fratris Conradi Confessoris, demonstrant notæ chronicae, tempora longe diffita efficientes. Animadversione tamen dignum est, hanc Palmeriam, primo nuptam Andrico de Cormons, ac postea Domino Ottacho, cujus familia reticetur, dictam de Castillerio ex cognomine patris ejus, propriæque familiæ de Castillerio. Similia exempla patent*

in prædictis Necrologiis. Ad diem 22. Januarii obitus adnotatur *Domini Menhardi de Villa nova, & Domine Katharina de Ravignano. Ad diem 28. ejusdem Mensis, Domina Culussa de Cergneo, uxoris qu. Domini s. Johannis de Venustis. Ad diem 8. Martii, Petris, filie Decanuti de Villanova, uxoris Domini Arnoldi de Yvanis. Ad diem 7. Augusti, Domine Floride de Strasoldo, uxoris Nobilis Viri Domini Simonis de Cuchanea. Ex his mihi primum est colligere, Palma & Palmeriæ nomen in Familia de Castillerio consuetum fuisse: adeoque Palmam illam, quæ soror erat Fratris Conradi Confessoris, ad Familiam de Castillerio pertinuisse cum fratre suo Conrado.*

Castellerii, quod olim nobile Castrum fuerat, nomen solummodo manet. In tertio Patriarcharum Aquilejensium Chronico, quod in Appendice ad Monumenta Ecclesiæ Aquilejensis vulgatum est num. iv. hæc habentur in Nicolao Patriarcha, successore Bertrandi inter arma iniquissime interfecti: „ Eodem millesimo „ CCC.LII. mense Januarii, destrui „ fecit (Nicolaus) Castrum Tercenti „ inferioris. Item Dominus Patriarcha „ destrui fecit partem Castri de „ Mels. Item diruptum fuit Castrum „ de Castellerio per Utinenses: & lapides dicti Castri conducti fuerunt „ Utinum . . . Et dictus Dominus „ Patriarcha omnia supradicta fecit „ pro vindicta mortis Domini Patriarchæ Beltrandi.

Inferius legimus in Vita cap. III. *Audrois Frater, qui hoc scripsit, a famulo domus. Hunc ego Fratrem, Vitæ auctorem, facillime intellexerim ipsum Fratrem Conradum Confessarium Benvenutæ, ipsumque Fratrem Conradum de Castillerio. In loco Vitæ, quem illustramus, hæc alia sequuntur verba: Dixit ei (Benvenutæ)*

C

Beatus

Beatus Dominicus: scire debes quod est divinitus ordinatum, quod tu in hoc tempore nasceris, & ipse [Frater Conradus] Ordinem intraret Prædicatorum, ut secundum ordinem ejus dirigas vitam tuam. Quæ satis indicant peculiare quodpiam in Fratris Conradi Confessarii vocatione ad Ordinem, quod Fratri Conrado de Castellerio, nobilissima ex gente prognato, maxime convenit. Se Vita auctorem noluit prodere. At nemo, nisi Confessarius, quæ narrantur in Vita, litteris mandare potuit. Gesta Benvenutæ nonnulla ab aliis excipere potuit, debuitque Confessarius: sed ab uno Confessario maximam gestorum addiscere debuisset partem auctor, si ab eodem diversus esset. Id vero factum, vestigium nullum in tota Vita serie. Fuerit ergo Frater Conradus de Castellerio, idemque Benvenuta Confessarius, qui Vitam ejusdem elucubra vit. Vide num. 33.

(8) *Cum ad Ecclesiam venisset sequenti die, scilicet Sancti Dominici Fratrum Ordinis Prædicatorum. Majus, quod in ea erat, Altare, dicitur infra capite vi. circa finem, suo, id est Sancti Dominici, nomini dedicatum. Primordia Ecclesiæ, & Cœnobii in Civitate Forijulii pertinent ad*

ann. 1252. & 1256. Consule Commentarium nostrum Historicum De Rebus Congregationis sub titulo Beati Jacobi Salomonii &c. cap. 6. In instrumento, quod confectum est anno M. CC. LVI. Indictione XIV. die tertio exeunte (id est 29.) Julio, legimus: Dominum Lupoldum Vicedecanum, & Canonicos Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Civitate... dedisse, tradidisse, & cessisse Fratri Johanni Bozonensi, Priori Conventus Ecclesiæ Sancti Dominici... proprietatem &c. Ecclesiam intellige jam tum ædificari cœptam, inchoatumque Cœnobium. Tum vero Templum, tum Fratrum ædes quartodecimo sæculo, & insequente ad congruam redacta fuisse structuram, colligimus ex legatis pecuniis, quæ in duobus citatis vetustis Necrologiis recensentur. V. g. anno 1304. pro reparatione Dormitorii: anno 1370. & fabrica Ecclesiæ: anno 1371. pro fabrica Ecclesiæ: anno 1378. quæ pecunia fuit expensa in reparatione Campanilis: & anno præcedente 1376. pro coopertura Ecclesiæ: & anno 1399. pro reparatione Ecclesiæ. Quæ rursus omnia evincunt, Ecclesiam, quæ modo visitur, eamdem extasse, quoad ejus molem, Benvenutæ ætate. Vide num. 29. 30. & 40.

C A P U T III.

Jejunia. Calitum apparitiones. Ecclesiam Sancti Dominici frequentat Benvenuta. Fuga obtrectionum.

IN tenella ætate, quæ nondum erat apta jejuniis (9) cœpit quadragesimas majores Paschæ, & quadragesimas Sancti Martini continue jejunare; ita quod aliquas quadragesimas majores una die in pane & aqua jejunabat, alia die simplici contenta pulmento; exceptis aliis temporibus anni, in quibus quasi semper jejunabat tribus diebus in quolibet septimana, & aliquas earum in pane & aqua, aliis jejuniis Ecclesiæ omnibus non omisissis.

Pu-

Publicum puellarum, five aliarum personarum fugiebat consortium, quasi semper in domo manens, & in secreto specialiter orationis cubiculo. Unde cum *Pater ejus* hyemali tempore, sicut est hominibus secularibus consuetum in sero jocundaretur cum sua familia juxta ignem, talibus nolebat interesse solaciis; sed in cubiculo suo contemplationi, & orationi sola vacabat. Unde cum pater suus semel existens extra cubiculum, esset separatus ab aliis personis, ut compleret horas Beatæ Virginis, quas quotidie dicere consueverat; audivit, quasi cum aliis personis loqueretur interius; & volens videre quid hoc esset, aperto cubiculo introivit ad eam, & inveniens eam solam dixit: *Ubi sunt personæ, quæ modo loquebantur tecum?* Et illa respondit: *Vosmet videre potestis.* Disparuerunt ei in aperitione ostii tres Sanctæ Virgines, quæ loquebantur cum ea: scilicet Beata Catherina, Beata Agnes, & Beata Margareta; sicut dixit Confessor suus, cui postea manifestavit. E reversum est exterius Pater ejus, secus mirans, in majori dilectione, & reverentia de cetero tenens eam. Soror etiam sua, quæ secum in cubiculo dormiebat, testatur, quod interdum excitabatur audiens eam, quasi cum aliqua persona loquentem. Et videns aliquando lumen in cubiculo refulgere, dicebat: *Benevenuta vide, quale sit istud lumen.* Et respondebat Benevenuta: *Dormi, quiesce, noli curare.* Audivit (10) Frater qui hoc scripsit, a famulo domus, qui curam agebat equorum patris istarum virginum, quod circa meditullium noctis, cum veniret cum equo onerato magno pondere fœni; & aperta porta, intrasset in curiam domus, vidit per fenestras cubiculi, in quo erat Benevenuta, tantum lumen splendere, ac si totum arderet interius. Qui cum intrasset in stabulum, & fœnum deposuisset, & equum locasset, & rediisset exterius, de prædicto lumine nihil vidit.

Quotidie in mane ad Missam, & in sero ad Completorium, nisi magna contrarietas temporis, vel impedimentum aliud maximum obviasset, veniebat ad Ecclesiam Beati Dominici, quæ tantum distabat a domo sua, quantum bis forte jactaret balista. Et si Festum erat, præveniebat tempus, & erat in Vesperis, nec domum redibat, nisi audito Completorio: quia mirabiles, & maximas habebat consolationes in *Salve Regina*. Unde post Vesperas, cum per Sacristas clauderetur Ecclesia, intrabat cum sorore sua, & quadam sua socia specialissima & fideli amica in quamdam domum juxta Ecclesiam, ut cum post Vesperas aperiretur Ecclesia, citius ad Ecclesiam pervenirent.

In mane consueverat usque ad tertiam in Ecclesia permanere, nisi forte soror sua, quæ consueverat eam sociare, non posset propter aliquod urgens negocium expectare: vel permittebat, sororem suam domum redire tali conditione, ut circa tertiam veniret pro ea. Hæc omnia pater suus libentissime substinebat, quia propter sanctitatem ejus.

revere batur eam, & super alias filias eam tenerrime diligebat; nec ad prandium, donec rediret, sedere volebat. Comedendo autem cum patre in una scutella videbatur carnes comedere, nec comedebat, sed distrahebat, vel abscondebatur occulte: quia tota attentio sua fuit carnem subjugare spiritui; propter quod carnis desideria etiam necessaria vitæ quotidie detruncabat, nunquam ad plenum carnis satisfaciens voluntati: in omnibus his hilarem gerens faciem, & jocundam.

Obloqui de absentibus, longe fuit ab ea: imo obloquentes de aliis in præsentia sua reprehendebat, nec patienter poterat sustinere. Sciens autem multas obloquutiones contra veritatem de se factas, nequaquam iræ, quæ impatientiæ spiritu movebatur; sed compatiens obloquentibus, cum modo caritatis, & mansuetudinis dicebat: *Plus doleo de ipsis, quam de me, quia plus nocent sibi, quam mihi.*

A. N. N. O. T. A. T. I. O. N. E. S.

(9) *In tenella ætate, quæ nondum erat apta jejuniis, capit Quadragesimas majores Paschæ, & Quadragesimas Sancti Martini continue jejunare. Quadragesimæ, quæ Sancti Martini vocatur, frequens in Ecclesiasticis ævi superioris monumentis mentio. Ab ipso Sancti Martini festo, vel etiam antea, vel post, variis in locis, diversisque temporibus, ad Nativitatem Domini perdurabat. Consule Edmun-*

dum Martenium, Grancolium, Ducangium, & Josephum Garampium in Vita B. Clare Ariminensis, Dissert. VI. num. VII. Jejunium, quod ætate sua vix Clericis, aut Monachis in usu erat, religiosissime servabat Benvenuta.

(10) *Audivit Frater, qui hoc scripsit, a famulo domus. Annotationem lege num. 7. in fine.*

C. A. P. U. T. I. V.

Diabolicæ præstigiæ, & infestationes. Patientia Virginis, fortitudo, victoria.

VIdens hæc omnia humani generis inimicus, & multo plura in ea sanctitatis insignia, coepit ejus sanctitatis foelicibus operibus invadere; volens eam vincere, & decipere, sub diversis formis sibi personaliter apparendo. Primo cum juvencula esset, & valde formosa, apparuit sibi soli oranti in loco secreto viridarii sui, in specie juvenis elegantis, & dixit ei: *Cur modo facis ista? Alio tempore facere poteris: sed veni modo, & juventutis solaciis insistamus.* Quæ cum se vertisset, ut domui appropinquaret, subito disparuit, nec videri potuit, quasi ad locum aliquem divertisset.

Secundo etiam in simili specie apparuit ei, cum esset in cubiculo suo.

fuo sola, dicens: *quod ex parte Confessoris sui ad eam missus esset, ut diceret ei, quod votum virginittis, quod emiserat, non servaret.* Quæ cum diceret, *non credo tibi, cum prædicatores omnes in publico contrarium prædicent;* & alta voce vocaret ancillam; subito disparuit, & amplius non est visus.

Item cum fiebat Provinciale Capitulum, vel Confessor suos assumptus esset (11) ad aliquem Prioratum; aliquando apparebat sibi in specie Fratris itinerantis, pessimos portando rumores tam de Capitulo, quam de Confessore suo. De Capitulo dicebat, quod magnæ fuerant in eo divisiones, turbationes, percussiones, & vulnera multa. De Confessore suo dicebat, quod vel cum una muliere recesserat, & exiverat Ordinem, vel quod erat in magna infamia. Quæ cum diceret, *ubi est socius tuus?* respondebat, *ego reliqui eum ibi extra.* Et cognoscens eum, increpabat eum, quomodo tanti Ordinis habitum audebat assumere: & adjurans eum per Jesum Christum, quod de his omnibus diceret veritatem, respondebat, omnia fuisse mendacia; & quia ideo dixerat ea, ut affligeret eam tristitia, & dolore.

Item apparuit sibi in profunda nocte in cubiculo suo, dormiente sorore, & ipsa orationibus insistendo, in forma canis per cubiculum discurrentis, naribus odorando, & inquietudinem faciendo. Quem cum expelleret, sicut consueverunt canes expelli, recedebat; & post modicum redibat inquietudinem faciendo. Et cum hoc pluries factum esset, dicebat ipsa: *Quis canis est iste, qui non permittit nos in pace?* Respondebat ille: *jam scies quis ego sum:* & illa: *ex quo tu scis loqui, non es de canibus nostris.* Et cum eam ille molestaret opprobriis, & comminationibus multis, respondebat illa: *non te timeo; sicut pejus potes, facias mihi:* & ille: *si non essent illi, vel ille, qui sunt juxta te, cito meam perficerem voluntatem.* Et post multa verba alia, quæ habebant ad invicem, illo sibi minas inferente, & ipsa eum opprobriis confundente, licentiabat eum, quod abiret cum illa maledictione, quam Deus dedit sibi, & suis, quando expulit eos de cælestibus in poenas, & in miseras sempiternas. Et post hæc recedebat cum garritu, & ullulatu, & clamore maximo; quia postquam inceperat loqui cum ea, non audebat nisi licentiatus abire.

Item alia nocte sibi apparuit tribus vicibus in specie gattæ per cubiculum discurrentis: & cum ipsa quæreretur, qualis esset ista gatta, quæ sic inquietaret eam, ille cum opprobriis, & comminationibus humana voce respondebat: & post multa verba, quæ habuerunt ad invicem, licentiatus garriendo recessit.

Item bis sibi apparuit in forma serpentis. Semel cum esset de die cum sorore sua in viridario suo, & soror distaret ab ea; serpens quidam magnus coepit currere versus eam; & cum sororem alta voce clama-

ma-

maret in adjutorium sibi, subito in loca quædam occulta disparuit. Et ecce in nocte sequenti apparuit sibi in sua forma deformi: & cum ipse diceret ei, *quid facis pessima mulier?* & illa responderet quod faciebat, & facere intendebat, quod Deo placeret; ille respondit: *tamen heri vindicavi me de te.* Quæ respondit: *Quomodo vindicasti te de me?* Ille respondit: *quando heri in viridario territa fuisti, & alta voce sororem tuam vocasti in adjutorium tui.* Quæ respondit: *fuisti ne ille qui currebat adversum me?* & ille, *utique.* Et illa: *non te timeo in quacumque specie mihi appareas.*

Item alia vice apparuit sibi in forma serpentis: quia cum similiter deposuisset se in loco, ubi dormire consuevit; ille in forma serpentis pannos paulatim subintrans, & illa eum bene præsentiens, & cognoscens patienter sustinuit, donec extensus fuit totaliter juxta eam. Et cum esset tantæ frigiditatis, quod vix eam poterat sustinere, subito pannos superiores projiciens, in manu sua cœpit eum per medium, & tam valde projecit eum in parietem, quod ex sonitu videbatur, quod deberet esse confractus. At ille subito caput elevans, & veniens versus eam, cœpit ei terrores, & minas inferre. Et cum non posset ei appropinquare; illa cœpit eum verbis confundere, dicens: *quod Dei justo judicio factum erat, quod qui prius forma fuerat angelica decoratus, speciem indueret immundissimam, & abominabilis animalis.* Et sic confusus, & licentiatus, cum clamore valido recedebat.

Duabus vicibus de nocte ipsa orante, projecit lapides versus eam per fenestras cubiculi sui; & post modicum intravit ad eam petens, *ut sibi redderet lapides suos.* Et illa respondit, *de tuo nil habeo.* Et quæsit ab eo, unde accepisset lapides illos; & ille respondit (12), *quod unum de torrente Narisso, qui fluit juxta Civitatem, de loco qui dicitur Pyla; & alium recepit de fornace Fratrum, ubi Fratres coxerunt calcem suam, & addidit: iveram etiam illuc, quia volebam me vendicare de Sclericato tuo, & non valui, te orante pro illo.*

Item quandoque sibi valde terribilis apparebat, oculis scilicet ardentibus, dentibus longis & eminentibus aprorum more, mandibulas movens, & ore spumans, terrores sibi maximos faciebat. At illa licet esset valde debilis persona, contra eum verbis, & responsionibus, Dei adjutorio roborata, constantissime stabat. Unde semel sibi dixit pessimus ille: *quid est, quod videris quasi mortua, & quod non possis loqui, & tamen ita fatigas me, quod tibi non sufficio respondere.*

Item dum etiam accepta potestate super eam, ut in persona eam lædere posset, multoties, & multis modis eam in corpore gravissime molestavit, quandoque eam ita vehementer trudendo in terram, quod sanguinem spuebat in mane. Item eam tam graviter verberabat in nocte,

Et quandoque, quod postea de die in facie, & manibus videbantur vestigia percussuræ. Item eam quandoque capiebat, & levabat, & tam vehementer projiciebat in terram, quod peplum de capite suo procul ibat. Unde cum semel contra eam fortissime luctaretur, & projecisset eam in terram, ipsa Dei roborata virtute, erexit se contra eum; & capiens eum projecit sub pedibus suis, & ponens pedem super collum ejus cœpit eum verecundis vituperare sermonibus; & sedens super eum non sinebat abire, illo e contra clamante: quod amodo dimitteret eum, quia nimis eum vituperaverat; & quod non auderet amodo nisi cum maxima verecundia coram suis fociis comparere. Demum quando voluit, permisit eum abire cum illa maledictione divina, quam Deus sibi, & suis dederat a principio. Ille autem cum tanto garritu, & clamore recessit, quod si aliæ personæ ita audire potuissent, sicut audiebat Benevenuta, audire poterant plusquam per milliare latinum. (12) Et hoc fecit exemplo Beatæ Margaretæ: & fuit etiam hoc in festo Beatæ Margaretæ, quia sic eam docuerat Confessor suus. Pluribus etiam aliis modis apparuerunt sibi maligni spiritus, qui non potuerunt memoriæ reservari illius, cui ista narrabat.

A N N O T A T I O N E S.

(11) Cum fiebat Capitulum, vel Confessor suus assumptus esset ad aliquem Prioratum. Cœnobiorum præfecturas gessit plures Vir moribus ornatissimus, regularis disciplinæ tenax, & ad gerenda negotia idoneus. Infra in Vita vocatur Superior Civitatenfis, itemque Prior Veronensis. Hæc item accipe alia verba. „Dina providentia factum fuit, quod „Fratres Conradus intraret Ordinem „Prædicatorum, & deberet Benevenutæ specialem curam gerere: & „ipsa debebat de consilio suo regi, „& sibi in omnibus obedire. Fuit „etiam sibi (Benevenutæ) promissum a Domino, quod in fine „vitæ suæ apud eam esset, & ipsam „traderet sepulturæ. Propter quod „quando fuerat occupatus in Conventu Tridentino, & in Conventu Tarvisino in officio Prioratus, numquam poterat quiescere desiderium

„ejus, nisi postquam esset absolutus a Prioratu, & Civitatenfi Conventui assignatus. . . . Modo de „novo acceperat litteras Prioris Provincialis Frater Conradus, quod „electus esset in Priorem Conventus Veronensis, & quod iret ad dictum „Conventum ad exequendum officium Prioratus. „Anni definiri non possunt, quibus Conradus memoratis Cœnobiis præfuerit. Civitatensem ab eo gestam præfecturam in Commentario Historico citato conjecimus post annum 1279. & ante annum 1290.

(12) Respondis (Dæmon,) quod unum (lapidem accepit) de Torrente Natisso, qui fuit juxta Civitatem de loco, qui dicitur Pyla. . . . quia volebam me vindicare de Sclericato tuo, & non valui, te orante pro illo, Natisso fluvijs Civitatem dividit a suburbio, quod Pontis appellatur. In alveo

alveo locus est, qui non longe distat a porta suburbii, quod *Sancti Petri* dicitur, *Pyle* nomine hodieque appellatus. Loci mentionem ingerunt vetusta Documenta. Quod sequitur, exstat in *Libro censuali* insignis Capituli Foro-Julienensis: „ In Grupignate, mater Johannis Longi, dedit „ Capitulo . . . pro anima sua red- „ dirus ann. medix Marchæ . . . su- „ per una Mola sita in Molendino „ *Natissa* a superiori parte *Pyle* . . „ Aët. M.CC.LXXVI. die VII. exe- „ unte Martio . . . Not. Julianus de „ Ruzolio. „ Alteram accipe Mem- „ branam, sumptam ex Archivo Fra- „ trum Minorum de observantia, qui „ prope Civitatem incolunt Cœnobio- „ lum *Sancti Georgii*. Ad Sanctimonial- „ les sub regula *Sancti Augustini* specta- „ bat locus quintodecimo seculo incepto, „ & labente. „ M.CCC.LXXXVIII. „ Indictione XII. die VII. Junii . . „ Religiose Domine, Dorothea de „ Savorgnano Priorissa, Catherina „ de Utino, Maria de Chavalzano, „ omnes Moniales Monasterii *Sancti „ Georgii* de sub Civitate Austria . . „ ipsum Capitulum facere valentes, „ affuistaverunt Bernardo de Burgo „ Pontis dicte Civitatis Austrie, Se- „ dimen molendini . . . super aqua „ nominata *Natissa* in pertinentiis „ *gurgitis Pyle*. „

Quis ille *Sclericatus*, pro quo ora- bat *Benvenuta*? Vocem irrisionis esse puto indicantem virum, qui *Clericam* seu coronam clericalem gestat, aut *Clericatum* seu vitam monasticam & regularem proficitur. Consule Ducangium in Glossario. Is vero fuerit *Frater Conradus*, *Benvenutæ Confessor*, pro quo orabat ipsa.

(13) Et hoc fecit exemplo *Beata Margareta*: & fuit hoc etiam in Festo *Beata Margareta*. Diabolicæ va-

riæ machinationes, atque phantasti- cæ præstigiæ, queis *Margaritam Virginem*, & *Martyrem* terrificabat *Dæmon*, in ejus Vita enarrantur Capite III. apud Bollandi Continuato- res ad diem xx. Julii.

Julianus in Chronico Foro-Julien- si, quod typis editum exstat in Appen- dice ad *Monumenta Ecclesiæ Aquile- jensis* num. VIII. sic habet: „ An- „ no Domini M.CC. nonagesimo pri- „ mo, Rev. Pater Dominus *Raymun- „ dus*, Dei gratia *Aquilegiensis Pa- „ triarcha*, transmutavit *Festum San- „ ctæ Margaritæ*, quod erat in Festo „ *Sancti Hermacore*, (die 12. Julii) „ in *Ostava ipsius Sancti Hermaco- „ ra*, (die 19. ejusdem mensis:) & „ ita ordinavit, per totum Forum- „ Julii celebrari. „ Diem 12. Julii „ *Sanctæ Margaritæ* sacram legimus „ in vetusto seculi undecimi, aut in- „ sequentis *Libro Sacramentorum juva- „ vensi*, aut *Salisburgensi*, manuscri- „ pto; ad diem enim IV. Idus Julii „ (12. ejusdem mensis) adnotatur: „ *Margarita Virginis. Ermachora, & „ Fortunati*. Indictam a Raimundo Pa- „ triarcha translationem offert vetu- „ stum Ms. *Breviarium Ecclesiæ Civi- „ tatenensis*: ubi ad diem XIV. Kal. Au- „ gusti (19. Julii mensis) *Festum* „ adscribitur *Margareta V. & Martyris*. „ Ad insequentem postea diem 20. Ju- „ lii translatio facta est in Ecclesiâ „ *Aquilejensi* juxta morem Ecclesiæ „ Romanæ: adnotatumque in *Missali* „ *Aquilejensi*, typis edito anno 1517. „ legimus ad Diem XIII. Kal. Augusti „ (20. Julii mensis,) *Margareta Vir- „ ginis*.

In *Kalendario vetusti Ms. Brevia- rii Ordinis Prædicatorum sacra Bea- ta Margareta* dies est vicesima Julii: XIII. Kal. Augusti *Margarita V. & Mart. simplex*. Sed antiquiora Ne- crologia duo jam citata, quæ adno- tabant *Fratres Prædicatores Civita- tenses*,

tenses, aut Forojulienſes, diem habent *XIV. Kal. Auguſti*, ſcilicet 19. Julii. An ergo quæ narrat Auctor *Vitæ*, acciderint Benvenutæ die 19. Julii, an die 12.? Poſterior hæc dies

definienda videtur, cum ea quæ narrantur, verosimilius ſit accidiffe ante annum 1291. & multo ante emortualem Benvenutæ annum.

C A P U T V.

Cæleſtes conſolationes, quas afferunt beati Spiritus, frequentius comparentes.

ET quia iſta devotiſſima Benevenuta in ſupraſcriptis apparitionibus, & luctis dæmonum in corpore, & in ſpiritu affligebatur non modicum, Chriſtus poſt tribulationes habitas, conſolationes ſibi maximas exhibebat, ut in ea verificaretur illud verbum Apoſtoli, *sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Jeſum conſolatio noſtra*: quia ſtatim poſt luctam Dæmonum apparebant ſibi perſonæ diverſorum Sanctorum, vel Angelorum, quandoque Beata Virgo, quandoque Angeli, quandoque alii Sancti, & Sanctæ plures, qui confortabant, & conſolabantur eam, & commendabant, quia bene pugnaverat: & dicebant, quia hoc Deus permittebat fieri propter bonum ſuum, & aliorum ſuorum, propter augmentum meritorum ſuorum, & majorem gloriam præmiorum, & quia etiam iſta quandoque manifeſtabuntur in poſterum. Sic etiam legimus de Salvatore noſtro, quia poſt victorias tentationum diaboli acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.

His ergo tentationibus, & colluctationibus, & ſupradictis jejuniis, vigiliarum, veniarum, & orationum operibus fatigata nimiam debilitatem corporis acquiſivit, & diverſas infirmitates incurrit; viſitationem tamen Eccleſiæ conſuetam, ſicut ſupradictum eſt, & contemplationis, & orationis, & devotionis conſueta opera non omittens, demum ad tantam pervenit debilitatem, quod quinque annis vel circa hæc de loco ad locum ſe movere non poterat niſi delata ſubſidio alieno.

CAPUT VI.

Membrorum tremore, difficili respiratione, ac fiderationis morbo laborat. Invieta patientia. Votum Deo nuncupat in honorem Sancti Dominici. Sanitatem recipit. Frater ejus militiae addictus, cujus nomen reticetur: qui scilicet in diffidio postea interfectus est.

INfra idem tempus omnem omnino cibum, quem fumebat, excepta sola aqua, continere non poterat. Quatuor vero annis ultimis manus continuo tremore percussæ continue, & fortiter movebantur. Ultimo ad hoc devenit, quod jacere non poterat propter arctationem spiritus, quia tunc non poterat respirare: unde oportuit quod pararetur ei sedes, in qua aliquibus annis die ac nocte, & omni tempore sedendo tantum, duceret vitam suam. Et ex longa sessione ad hoc devenit, quod caro in inferioribus partibus cute nudata, pannis suppositis adeo adhærebat, quod quando propter causam aliquam levabatur, non sine majori carnis excoriatione, & aliqua sanguinis effusione, dolor non modicus sequebatur. Et in his omnibus non est auditum ab ea querimonie murmur, vel impatientie verbum; sed in omnibus gratias agens humiliter postulabat, quod adhuc superadderet Deus poenas secundum suæ beneplacitum voluntatis. Et licet corpore se movere non posset, anima tamen sua vehementissime movebatur suæ sancto desiderio voluntatis. Cupiebat enim esse cum suo corpore sic infirmo in Ecclesia Beati Dominici, in qua multas, & maximas consolationes spirituales habuerat tam in Milis, quam in *Salve Regina*; quandoque etiam in quibusdam solemnitatibus magnis, quæ occurrunt per circulum anni. Quare soror sua volens satisfacere suæ beneplacito voluntatis, invenit unam ancillam corpore fortem, quæ omni septimana semel ipsam ad Ecclesiam deferrebat. Post duos annos inventa occasione, recessit ab eis; & quia non erat aliqua persona, quæ posset ad Ecclesiam portare eam, coepit vehementer angustari, & lacrymis implorare, ut aliqua persona inveniretur, quæ suo desiderio satisfaceret in hac parte. Unde soror sua propter hoc invenit pretio aliquas mulieres, quæ in paucis vicibus fatigatæ, nec pretio, nec precibus hoc ulterius facere voluerunt. Videns autem soror sua *Maria*, quod adhuc nimium affligebatur; ut satisfaceret ei, exhibuit semetipsam; quæ licet nunquam biberit vinum, fortis tamen erat in corpore: & non obstante febre quartana, quam patiebatur de sero, portabat eam omni septimana ad minus semel ad Ecclesiam, quanto indiguit tempore. Et licet multi de terra obloquerentur de portatione ista, quia jacendo super dorsum suum

porta-

portabat eam, & etiam parentes sui verecundarentur non modicum, quia ridiculum videbatur; nihilominus nec illa quæ portabat propter multam dilectionem, qua diligebat eam, dimittere volebat, quin sororis satisfaceret voluntati; nec illa, quæ portabatur, ut satisfaceret pio desiderio suæ devotionis, quin portaretur omittere.

Eadem sororis suæ laboribus compatiens, & oblocutiones populi tollere cupiens, devotione, & oratione se convertit ad Dominum super his, consilium suum, & auxilium postulando. Et Dominus posuit in cor ejus, ut votum emitteret ad Beatum Dominicum: quod si ejus meritis, & precibus curaretur ab infirmitatibus suis, quod quanto citius posset, suum visitaret sepulcrum. Quæ cum hoc suum propositum manifestaret (14) *Fratri suo carnali*, juveni valde strenuo, & tamen Deo devoto; licet deditus esset armis militiæ sæcularis, & sorori suæ Virgini devotæ, & peteret ab eis si vellent eam sociare usque Bononiam ad sepulcrum Beati Dominici, si vóti conditio impleretur: respondit frater ejus: *Soror, non dico tantum usque Bononiam; sed si sanaberis, paratus sum te sociare etiam usque Romam*. Soror etiam sua cum gaudio, & devotione voto consensit. Aderant etiam ibi duæ sorores carnales, una virgo, & alia vidua, ambæ Deo devotæ, de Civitatis honesta progenie, quæ promiserunt etiam secum ire, si votum suum consequeretur effectum, quod nullo modo credebant.

His itaque sic peractis, & fusa frequenter oratione ad Dominum supra dicta; ecce Festum desideratum ab ipsa Dominicæ Annunciationis advenit, ad quod specialem habebat devotionem. Et hora matutinali eorundem, se contulit ad tantæ Festivitatis gaudia contemplanda. Cumque in hujus contemplationis dulcedine læta quiesceret, ecce raptus est in cælum spiritus ejus, & vidit palatium inexcogitabili luce repletum, auro, gemmisque, & aliis ineffabilibus ornamentis ornatum. Et processit Dominus noster Jesus Christus, Pontificalibus indutus cum Diacono, & Subdiacono, & duobus Acolythis secundum ordines suos suis paramentis ornatis. Et ecce Beata Virgo suo diademate coronata, cum choro virginum venit ante Dominum; & inclinantibus omnibus iverunt ad locum suum. Post hæc quilibet ordines Sanctorum secundum gradus suos venerunt, & inclinantibus omnibus Domino, collocati sunt omnes in locis suis. Apostolis autem inchoantibus officium Missæ *Rorate Cæli*, prosequuti sunt omnes: & cum in officio usque ad purificationem processum fuisset, misit Beata Virgo ad spiritum, qui illic raptus fuerat, per Beatam Agnetem subridendo dicens: *quod placeret sibi amodo recedere, quia satis viderat*. Et respondit spiritus, *quod nullo modo volebat recedere*. Et cum misisset secundo, & spiritus similiter responderet; tertio misit dicens, *quod secure vadat, quia hodie visitabo eam in domo sua*. Et subito spiritus rediit ad corpus.

D 2

Et

Et ecce consolatrix omnium afflictorum Sanctissima Dei Genitrix Virgo Maria, Regina Cæli, luminoso amictu circumdata, & Beatus Dominicus cum habitu sui Ordinis ad stratum prædictæ Virginis astiterunt. Cui Regina: *Salvet Dominus*, inquit, *filia*. Quæ stupefacta pariter, & lætata, respondit: *Quanam estis Domina?* Et Regina ad illam: *Ego illa Mater Dei sum, quam toties implorasti*. Et puella ad Reginam: *Vos bene veneritis, Domina mea*. Deinde post aliquam concertationem verborum, Regina subjunxit: *Placet Filio meo te hodie, meritis, & precibus hujus Patris tui Dominici, corpore, & anima salvam esse; cumque susceperis sanitatem, vult te aliis revelare, quod ejus suffragio sis salvata*. Quibus, & aliis multis dictis, quæ soli Confessori suo, Superiori scilicet Civitatenſi, sub sigillo confessionis voluit revelare, quod nulli manifestaret, quamdiu viveret in hac vita; Regina cum collega suo ad cælestia redierunt: Mane vero facta, ad Ecclesiam Fratrum Prædicatorum se fecit deferri, Sancti Dominici nomine consecratam: & post Missam celebratam sacra communione suscepta, cum in gratiarum actione persisteret; ecce Reverendus Pater Sanctus Dominicus adstitit ante ipsam, qui dextera sua manum illius apprehendens: *Surge*, inquit, *filia*. Et statim ad vocem illius erecta surrexit, tibias contractas sine poena sentiens dilatari, & manus tremulas ab agitatione cessare; sensitque se ab omnibus occultis infirmitatibus liberari, facieque sibi, quæ est Angelica, restituta. Sicque Beatus Pater Dominicus eam introduxit in chorum; quam licet prohibente Sacrista, soror carnalis, & aliæ duæ sorores, quæ emiserant secum votum, & plures mulieres aliæ sunt secutæ, mirantes eam incedere, mirantes eam contra consuetudinem chorum intrare, ducem tamen itineris non videntes. Dictus autem Pater, cum eam ante Altare majus suo consecratum nomini collocasset, & post Altare postea declinasset, se recepit in Ecclesiam. Ibi ergo gratiarum actione finita, cum plena sanitate surrexit; & mulieres, quæ hoc ignorabant, eam adjuvare volentes a latere depellebat, dicens, se a cunctis infirmitatibus liberatam; ac manus stabiles ostendendo, & propriis viribus incedendo monstrabat se alieno subsidio non egere. Per se ergo egressa est chorum, & cum in gratiarum actione ante Altare Beatæ Virginis modicum permansisset, ad Altare B. Dominici iterum est reversa. Porro Fratres, qui convenerant, liberationem hujusmodi admirantes, volentes experiri, si esset ab infirmitate rejectionis cibi sanata, ei cibum, risum scilicet cum lacte amigdalorum, obtulerunt; de quo convenienti quantitate suscepta confortata est, ipsum retinens, & ex ipso sentiens juvamentum. Postremo, quæ contracta, & infirma ad Ecclesiam delata fuerat, domum rediit, non innixa baculo, nullo assistente auxilio, nulloque vehiculo deferente.

A. N-

ANNOTATIONES.

(14) Cum hoc suum propositum manifestaret Fratri suo carnali, juveni valde strenuo, & tamen Deo devoto, licet deditus esset armis militiae secularis, & sorori suae virgini devota: & peteret ab eis, si vellent eam sociare usque Bononiam ad sepulcrum Beati Dominici, si voti conditio impleretur; respondit frater ejus: Soror, non dico tantum usque Bononiam; sed si sanaberis, paratus sum te sociare etiam usque Romam. Quae hoc loco soror Beneventae virgo memoratur est Maria, de qua num. 5. Nomen reticetur

Fratri ejusdem carnalis. Hujusce mentio his verbis Capite VII. injicitur Post dies paucos nec ingrata beneficii, nec immemor voti sui, cum Fratre, & Sorore sua carnali . . . de Terra sua perrexit Bononiam &c. Idem sine dubio, qui suppresso etiam nomine memoratur Capite XI. „ Quomodo Fratrem suum carnalem, qui in quadam discordia, ac turbatione moris, tuus fuerat, meritis & precibus suis, de poenis purgatorii brevi tempore liberavit. “

CAPUT VII.

Votum solvit. Iter Venetias, ac Patavium, ubi se illi obviam tulere Fr. Conradus Confessarius, & Fr. Jacobus frater ejus, ac demum Bononiam ad Sancti Dominici sepulcrum. Reditus.

ET post dies paucos nec ingrata beneficii, nec immemor voti sui, cum fratre, & sorore sua carnali, & cum duabus devotis mulieribus, de Terra sua perrexit Bononiam, sepulcrum Beati Patris Dominici visitare; omnibus manifestans, sicut in mandatis susceperat, se dicti Patris meritis, & precibus liberatam. Quando pervenerunt Venetias, disponebant per Clugiam ire Bononiam; sed postquam iter inceperant, mutaverunt consilium, ut irent per Paduam: & hoc Dei factum est voluntate, quia inde venturi erant Superior Civitatis Confessor suus cum Fratre suo carnali, qui est Frater Ordinis Prædicatorum, qui de Romana Curia veniebant. Cum autem Superior, & socius Paduam pervenissent, videntes ibi Beneventam cum societate sua, sunt admiratione ineffabili stupefacti. Dimiserant enim eam, quando de Civitate recesserunt, tam infirmam, quod credebant eam potius invenire mortuam, quam vivam. Illa vero facie jocunda, ut decet, Ecce, inquit, sana sum. Videte faciem meam, aspiciite manus meas. Superior autem fecit sibi seorsum recitare per ordinem miraculum perpetratum; quia adhuc nulli hominum dixerat modum miraculi, nisi hoc solum,

solum, quod Beatus Dominicus liberaverat eam. Et injunxit sibi Superior, quod omnibus petentibus miraculum manifestaret, & etiam miraculi modum, & ordinem; sicut a Beata Virgine acceperat in mandatis. Injunxit etiam sibi districte, sicut potuit in virtute obedientiæ, quatenus sibi obedire tenebatur, tanquam patri suo spirituali, ut sibi manifestaret qualem duxerat vitam in transactis temporibus; & quales sibi Deus fecerat gratias in hac vita. Videbat enim, eam esse magni meriti apud Deum & ratione stupendi miraculi, quod nuper evenerat, & ratione sanctitatis vitæ quam non totaliter ignorabat.

Tunc illa sic coacta, & multum invita dixit & multa magna, & mirabilia valde, hac sibi promissione ab eo facta, quod quamdiu ipsa viveret, nemini revelaret. Tunc manifestavit & austeritatem vitæ, quam duraverat a puerilibus annis; quantas, & quales luctus habuerat cum malignis spiritibus; quomodo, & quam sæpe a Beata Virgine, & a bonis spiritibus fuerat visitata; quales etiam cum Sanctis diversorum Ordinum visitationes, & colloctiones habuerat; & qualiter, & quam sæpe rapiebatur in spiritu, & tam in cælo, quam in aliis locis Dei mirabilia magna vidit.

His peractis Bononiam pervenerunt. Ubi voto devote completo, cum multa consolatione redeuntes; (nec mirum, quia comitem itineris in eundo, & redeundo, sicut promissum ei fuerat a Beata Virgine, habebat Beatum Dominicum;) tandem Venetias pervenerunt; ubi Fratrum Prædicatorum devotissima Benevenuta Ecclesiam visitavit. In qua, præsentem Lectorem, & multis Fratribus, & multitudine Dominarum, cum de narrationis serie rogaretur, timens vanitatis notam, dicere recusabat: allegans, quia a Confessore suo, cui dixerat, & tunc ibi præsens erat, audire poterant. Sed tandem Fratrum, & Dominarum præsentium importunitate devicta, prædictum miraculum, sicut supra scriptum est, excepto illo raptu, qui fuit prius in cælum, quod postea Fratri *Jacobo fratri suo* manifestavit, per ordinem enarravit (15). Ad ultimum pervenit ad propria, ubi aliquibus annis sana, & sincera permansit.

Sed & hoc non cessans patienter, coepit jeuniis, & vigiliis, & aliis afflictionibus suam debilitare naturam; quia semper volebat in carne sua propter Christum aliquid pati, qui tantam pœnam pro ea fuerat passus, & semper Christi mortificationem in suo corpore circumferre. Propter quæ cum veniebat ad Ecclesiam, & redibat secundum pristinam consuetudinem suam, quam nunquam interrompere voluit, ad tantam pervenit debilitatem, quod oportebat quod quasi semper a sore sua sibi assistente conduceretur.

ANNOTATIONES.

(15) *Fratri Jacobo, Fratri suo, manifestavit. Alius Benvenutæ frater innotescit, Jacobus appellatus, Ordinis Prædicatorum in Conventu Civitatenſi alumnus. Vitam ipsum egisse, cum mortem anno 1292. obiit Benvenuta, discimus ex verbis, quæ Capite XIX. habentur, ubi ejusdem Benvenutæ obitus narratur: Frater Jacobus, qui erat frater suus carnalis, expedit se, & primo venit ad eam. Ejusdem, suppresso nomine, mentio superius injicitur, Roma cum Fratre Conrado Confessore in Patriam redeuntis: Inde (Patavium) venturi erant Superior Civitatenſis, Confessor suus (Frater Conradus,) cum Fratre suo carnali, qui est Frater Ordinis Prædicatorum, qui de Romana Curia veniebant.*

Membranam servant Canonici Civitatis Forijulii, in qua hæc habentur. „ In Nomine Domini . . . „ M.CCC.XVIII. Indiſtione . . . „ Octobris, in Civitate Austria, in „ Choro Majoris Ecclesiæ Civita-

„ ten. *Frater Jacobus, filius quondam*
 „ *Domini Conradi Boyani de Civitate, Ordinis Prædicatorum Con-*
 „ *ventus Civitaten. Procurator, &*
 „ *Syndicus Dominæ Catharinæ Priorisſæ . . . Sororum cellæ . . . de*
 „ *prope Civitatem . . . Et ego Johannes de Civitate . . . Notarius.* “ In secundo Necrologio Ms. quod servatur in ejusdem Urbis Cœnobio, ad Diem XXX. Januarii B. legitur: *MCCC.XXVIII. obitus Fratris Jacobi Boyani Ordinis Prædicatorum.* Alia manu additum est: *Frater fuit Beata Benvenutæ.* In Necrologio I. antiquiore desideratur interger mensis *Januarius.* Mirum vero, hunc *Jacobum*, quem in *Vita* legebat *Mutius Sforza*, ejusdem Vitæ translator, *Conradum* ab ipso vocari in prævio ad *Vitam Discursu de Bojanorum Familia!* Tertius Benvenutæ frater inferius memoratur, *Paulus* dictus, qui nobilem Familiam propagavit. Vide num. 37.

CAPUT VIII.

Cum Sororibus Dominicanis consuetudo in Monasterio a Cella. Iterum diabolicæ infestationes, & cælestia visa.

TAntam autem invenit gratiam (16) a Sororibus Ordinis nostri, quæ sunt in Civitate, & a Fratribus, qui habebant eas regere, post miraculum perpetratum, quod habebat liberam potestatem intrandi ad eas, & manendi cum eis, quando volebat. Videntes autem Sorores suam mirabilem, & devotissimam conversationem, consolabantur valde; & ædificationem non modicam reportabant. Contigit autem ibi manendo, eam febribus infirmari, & petierunt aliquæ Sorores, quæ magis afficiebantur ad eam, pro gratia, ut manerent cum ea in domo in qua morabatur, ut consolarentur cum ea, & adjuvarent eam in necessariis.

cessitatibus suis. Inter quas præcipua erat virgo *Margareta* nobilis genere, sed humilitate nobilior, quæ sicut de die ibat, ita de nocte manebat vestita, & calceata in obsequio ejus, non habens proprium lectum ad jacendum; sed si volebat quandoque quiescere, ponebat se super asseres, reclinando caput super lectum infirmæ.

Malignus autem spiritus, qui alias consueverat molestare Benevenutam, venit ad lectum, in quo jacebat cum sororibus supradictis; & percussionibus, & terroribus, & aliis modis adeo sibi molestus fuit, quod posuit se super humeros sororis *Margaretæ*, & cœpit eam vehementer comprimere: & ipsa cœpit eum adjurare dicens: *Maledicte spiritus, adjuro te per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & per merita hujus sanctæ personæ, quod dimittas me in pace.* Et tunc discedendo de ea, sonum faciens, quasi pondus magnum super solarium cecidisset; secundo, & tertio ascendit super eam, & similiter cecidit, ipsa se verbis similibus defendente. Demum intravit sub asseribus, super quibus lecti erant parati, & cœpit inquietare rodendo, & lacerando, & murmurando; quasi canis, vel ursus, qui roderet ossa, & (17) laceraret sextoria. Quando vero recessit, cœpit clamando recedere, sonum tam horribilem faciendo, quod in rerum natura vix, vel nunquam posset similiter inveniri.

Item cum fenestræ vitreæ essent taliter clausæ, quod non possent aperiri ab aliqua persona exterius existente, aliquam earum interdum aperuit, & projecit lapidem interius in medio earum satis magnum. Item cum ostium interiùs esset clausum, exteriora ferramenta ostiî circumducendo exterius inquietabat sorores; unde cum una soror iret ad ostium, volens magis cum repagulo confirmare, ille tam valide percussit exterius, quod repagulum procul ab ostio resiluit. Item cum Soror *Margareta* esset forti cingulo circumcincta, ponens manum ibi subito invenit cingulum detruncatum. His illusionibus, & aliis pluribus multis diebus inquietabantur ab eo; sed Benevenuta subridendo sæpe hortabatur eas, dicens: *Nolite timere, securæ state, quia in nullo poterit vos nocere.*

Quadam nocte cum Soror *Margareta* remansisset sola cum Benevenuta in stupha, & dormiret, & Benevenuta oraret; cœpit Benevenuta increpare aliquem, & dicere: *Quomodo es ausus huc venire? Recede statim, noli differre;* & similia increpationis verba. Ad quæ verba fuit excitata Soror *Margareta*, & cœpit valde pavere. Et post aliquam horam cum esset iterum soporata Soror *Margareta*, cœpit Benevenuta loqui cum alia persona: ad quarum loquutionem, cum iterum excitata, & audiens vocem Benevenutæ, & loquentis secum, licet non intelligeret verba; tamen propter dulcem modum loquendi cœpit vehementer affici, & consolari de colloquutione ipsarum. Et
cum

cum mane quæreret soror *Margareta*, cum quibus in nocte loquuta fuisset, coepit subridere, & dicere: *quod dimitteret verba ista.*

Similiter dicebat *Maria* soror sua, quod dormiente ipsa in stupula, (al. stuphula) in qua morabatur cum Benevenuta, & orante Benevenuta; quod pluries excitata est ad locutionem Benevenutæ, quæ loquebatur cum alia persona, & intelligebat interdum verba Benevenutæ, sed non loquentis secum; & sensit verba gratiarum actionis, & humiliationis dicendo: *Regratior vobis Domina, non sum digna de tanta gratia, dimittite me venire vobiscum.* Et nominabat quandoque sororem suam *Mariam*. Et cum videret quandoque *Maria* lumen in cubiculo resplendere, dicebat: *Caveas Benevenuta, quale sit istud lumen.* Et ipsa respondebat: *Dormi, noli curare.*

Cum esset quadam vice cum sorore sua *Maria* in curia domus suæ de nocte sub divo; & esset tempus serenum, & cælum valde stellatum, & noctis pars non modica transacta; coepit loqui Benevenuta cum sorore sua de pulchritudine stellarum, & de cælestibus Dei operibus. Et subito super eas apertum est cælum cum maxima apertura; & aspicientes in aperturam, viderunt tantum luminis, & splendoris, quod lingua humana explicari non posset; & tantum lumen descendit inferius, quod personæ, quæ erant in circumpositis domibus, videntes magnum lumen intrare per rimas & fenestras domorum suarum timebant dicentes: *unde potest tantum lumen venire?* quia duravit per bonam horam.

ANNOTATIONES.

(16) *Tantam autem invenit gratiam a Sororibus Ordinis nostri, quæ sunt in Civitate, & a Fratribus qui habent eas regere. . . quod haberet liberam potestatem intrandi ad eas, & manendi cum eis, quando volebat.* Monasterium intelligitur Sororum Ordinis nostri, dictum a Cella. *Julianus*, quem laudavimus, in Chronico Foro-Julienſi sic habet: *Impositus fuit primus lapis Monasterii Dominarum Cellarum apud Civitatem Austriam, per Venerabiles Patres, Albertum Concordiensem, & . . . Petenensem Episcopos, anno Domini M.CC.LXVII. die decimotertio intrante Aprili.* Sororum nomina, quæ sacrum primæ incolue-

runt Parthenonem, efferuntur aliqua in Foundationis Diplomate, dato anno M.CC.LXVII. decima Indictione, apud Civitatem Austriam, in Camera Patriarchali, die XII. intrante mensis Decembris: scilicet, *Guerempurch, Elisabeth, Blasetta, & Adaleyta de Rivarotta.* Consule nostrum *Commentarium Historicum de Rebus Congregationis &c.* Capite VIII. num. I. Ibidem descripsimus num. II. litteras Pontificias *Honorii IV.* datas *Tibure VI. Kal. Septembris*, Pontificatus anno secundo, æræ vulgaris 1286. Sorores appellantur *Ordinis Sancti Augustini*, ob ejusdem scilicet Sancti Parentis regulam, quam profiteban-

E

tur:

tur: & observare dicuntur de institutionibus Fratrum Ordinis (Prædicatorum) illas, quæ ipsis competunt. Curæ, ac regimini Magistri, & Prioris Provincialis Lombardie Ordinis Fratrum Prædicatorum, Monasterium subjicitur: Sororum precibus annuente Venerabili Patriarcha Aquilejensi, qui tunc erat Raimundus a Turre. Certo jam constat, Sorores illas ad Ordinem pertinuisse, qui Sancti Domini secundus dici solet.

Quæ vero in hac Benvenutæ Vita Sororum a Cella nomina quædam memorantur, simul colligimus omnia. Prædicta Soror Weremburg inferius dicitur Priorissa Sororum nostrarum. Alia recensetur Soror Nicolotta, quæ modo est Priorissa, scilicet post Weremburgem. Aliæ innotescunt bene multæ: Soror Margarita virgo, nobilis genere, sed humilitate nobilior: Soror Bortolotta, Soror juvencula duodecim annorum, nomine (ut videtur) Lucia: virgo nobilis de Strasolt, nomine Aicha: Soror Wilburgis, Soror Magdalena, Soror Mathildis, Soror Eusebia, Soror Leoncina, Soror Gisla, Soror Ambrosina, Soror Matthiuzza. Cum his consuetudinem habebat Benvenuta pro ea, qua pollebat facultate Monasterium intrandi, agendique cum ipsis vitam regularem.

In Vita compendio, quod vulgavit Serafinus Ractius, mentio fit juvenculæ duodecim annorum superius memoratæ, ac etiam Virginis nobilis, nempe de Strasolt: quarum illa precibus Benvenutæ lumen oculorum recepit, ac ista ex lethali morbo convaluit. Eas vocat Ractius Tertii Ordini, & Ordinis de penitentia Sorores, semel ac iterum. Labitur sine dubio Vir clarissimus, ut superius ostensum est. Militabant quippe Sorores de Cella sub Regula Sancti Augustini, & Sancti Domini institutionibus: unde ad secundum, qui dicitur, spectabant Ordinem.

(17) Et laceraret sextoria. Apud Dufresnium in voce, Sextorium, ita legimus: "Juncta Bevagnas in Vita, Margarita de Cortona Capite III. „ (ait:) Sæpe in cella nuda reman- „ sit, nunc involuta sextorio, nunc al- „ terius coloris (Sororis) operata ru- „ nicula, vel mantello. Ubi Viri „ docti legendum putant, Textorio. „ Ego vero malim, Sercotio: fuit „ enim Sercotium, vestis mulie- „ rum. " In loco, quem illustramus, opera texendo facta indicari, existimamus: unde Textoria reponenda videntur. Mutius Sforza italice vertit *Stuore, e drappi*.

C A P U T IX.

*Miracula in eodem Monasterio, Benvenutæ precibus,
a Deo patrata.*

Cum esset Benevenuta in domo nostrarum Sororum de Cella, antequam infirmaretur ibidem, in Festo Beati Michaelis in nocte sequenti, ceteris sororibus quiescentibus quæ morabantur cum ea, ipsa orabat. Soror etiam Margareta vigilabat secum, & orabat. Et ecce cum esset Benevenuta super pavimento prostrata, raptus est spiritus ejus: & hoc soror Margareta bene advertit, & cœpit multa consolari

lari devotione. Et post longam horam ad corpus spiritus est reversus; quia hoc cognovit per suspiria, quæ sibi consueverant accidere, quancumque spiritus revertebatur. Et cum surrexisset, cœpit conqueri forori *Margaretæ*, quod fortiter sitiebat. Quæ cum respondisset, quod daret sibi vinum, vel aquam, sicut sibi placeret, respondit: *Vinum non biberem ista hora, aquam non potestis habere, nisi de puteo; nolo quod in tali hora eatis ad puteum.* Et cum diceret: *Bene ibo ad puteum, nihil timeo ex quo vado pro vobis:* ipsa nullo modo acquievit. Et cum eam soror *Margareta* rogaret instanter, quod deponeret pallium, & declinaret caput aliquantulum super lectum; importunitate ejus devicta, fecit quod dixit. Soror autem *Margareta* vehementi devotione commota, declinavit faciem super faciem ejus, & osculata est eam: & statim ex tactu, & flatu ejus tantam sensit consolationis dulcedinem, quod videbatur ei, quod omnes dulcedines, & consolationes hujus vitæ tantæ dulcedini, & tantæ consolationi æquiparari non possent. Et vix cogitare poterat, si major esse potest consolatio beatitudinis; quia videbatur ei, quod præ gaudio, & consolatione, & lætitia anima vellet extra corpus exire. Dormire, bibere, comedere, & omnes aliæ consolationes hujus vitæ respectu istius videbantur esse pœnales. Oculi ejus emittebant continuos rivulos dulcissimos lachrymarum: & circa cor, & partes præcordiorum pectoris, ubi (18) fundatur calor spiritualis, & circa epar, & renes, & partes nutritivorum, ubi est fundamentum caloris naturalis, supervenit ei quidam calor maximus, & insolitus, non pœnosus, sed suavis; non generans sitim, vel anxietatem, sed cum multa suavitate dulcedinem: & cum palparet carnes exteriores si essent propter istum calorem immutata, in nullo a dispositione naturali immutatas invenit: & hæc consolatio duravit ei bene per xv. dies & ultra. Et quancumque proximabat magis ad Benevenutam, magis renovabatur ista suavitas. Et si in aliis temporibus sequentibus non sensit tantam consolationem sicut in principio, tamen adhuc aliquam sentit, & creditur, quod toto tempore vitæ suæ sentiet; quia omnes postea orationes, & contemplationes, & omnia, quæ ad devotionem pertinent, sunt ei satis majoris consolationis, quam antea fuerint.

Habuit soror *Margareta* quamdam infirmitatem multis annis, quæ continebat sibi hyemali tempore, a Festo scilicet Sancti Andreae usque ultra Pascha. Infra hoc tempus, multis diebus veniebat ei quædam infirmitas, quæ loquelam impendebat, quia nihil poterat loqui, sed mugitus ad modum bestię cum dolorosis signis emittebat tam grandes, quod omnes aspicientes ad compassionem magnam perducebat. Cum autem in præsentia Benevenutæ sibi semel evenisset ista infirmitas, ex vehementia doloris prona super quoddam reclinatorium se de-

posuit: & Benevenuta, compassione commota orando, se posuit similiter ex adverso. Et post modicum soror *Margareta* sine dolore, & aliis signis infirmitatis surrexit: nec de cætero fuit unquam hac infirmitate vexata; quæ licet prius habuerit multa consilia medicorum, & multas fecerit medicinas, nullum unquam sanitatis potuit remedium invenire.

Soror etiam *Bortolota* fuit infirma de simili passione similiter multis annis. Cum autem accidisset ista infirmitas, & præsens esset Benevenuta; rogavit eam Priorissa, quod miseretur ejus, & adjuvaret eam. Et accipiens manus infirmæ, posuit in manibus Benevenutæ, quæ elevatis oculis suspexit in cælum, & sanata est statim ab infirmitate sua, nec unquam postea molestavit eam.

Cum semel esset soror *Margareta* in obsequio Benevenutæ in infirmitate sua, & lavaret sibi pedes, licet esset ita infirma, quod a capite usque ad pedes vix erat aliqua corporis particula, quæ non speciali molestia gravaretur, tamen propter magnum amorem, & maximam devotionem, quam habebat ad eam, sibi cum multa devotione, & maxima lætitia serviebat: & ita serviendo, subito sensit se perfecte & totaliter liberatam. Et advertit, quod omnis infirmitas, quam prius habuerat, Benevenutæ corpus totaliter occupaverat; unde cœpit multum dolere, & dicere sibi: *Quid est hoc, quod fecistis? Meam infirmitatem accipitis super vos? Nolo istam commutationem; reddite mihi meam infirmitatem.* Et cum super hoc vehementer instaret, nec tamen propter hoc ad eam rediret infirmitas; tunc quasi turbata projecit contra Benevenutam pannos quibus eam operire debebat, & longe recessit ab ea. Cum autem Benevenuta pluries revocasset eam, ut rediret ad eam, & illa nollet, nisi hac conditione, ut sibi redderet infirmitatem suam; tandem ejus importunitate devicta, rediit ad eam: & tunc Benevenuta dixit ei: *Sciat is soror Margareta, quod vos peccastis, & displicuit Deo, & B. Dominico, quod fecistis: & soror Margareta respondit: Et ego rogo vos, ut pro isto peccato rogetis pro me Dominum, ut parcat mihi, & det mihi onanem pœnam, quam vult, quia parata sum portare.* Et ecce subito infirmitas a Benevenuta recessit, & redivit ad sororem Margaretam multo major, quam prius fuerat: & ex tunc tenuit eam, & per totam noctem sequentem, affligendo eam fortissime in suo lecto jacendo. Aliis autem sororibus, quæ remanserant juxta Benevenutam, dixit Benevenuta: *Soror Margareta habuit gravem noctem.*

Item soror *Margareta* habebat unum naturalem defectum, quod non potuerat caseum comedere toto tempore vitæ suæ; nec aliquam comestionem, in qua positum aliquid de caseo esset. Imo si cochlear, cum quo debebat comedere, tetigisset aliquam comestionem, in qua pos-

positum fuisset aliquid de caseo, postea illud choclear tetigisset comestionem, quam debebat comedere; statim sentiebat, nec comedere poterat; & si comedebat, rejiciebat. Pater etiam suus habuit istum defectum, quia nunquam potuit comedere caseum. Benevenuta videns istum suum defectum, cum semel comederet secum dixit ei: *Soror Margareta, quare non comeditis caseum?* Quæ respondit: *Quia non possum, & doleo multum. Sed istam fidem habeo de vobis, quod bene poterò comedere, si vos vultis me juvare.* Et Benevenuta tunc accepit caseum in manibus suis, & super eo facto signaculo crucis, dedit ei dicens: *Comedite secure.* Et tunc coepit comedere & sapere sibi, & comedit de cætero semper.

Item fuit in dicto Conventu Sororum nostrarum quædam *Soror juvencula*, XII. annorum, nomine cujus oculi obscurari coeperunt; quasi quadam nebula, vel tela aranea subtili super oculos apparente: nec poterat aliquid videndo discernere; sed quasi ultra pannum linum, & spissum videns, omnia confuse videre. Hæc sentiens quod Benevenuta pluribus personis meritis, & precibus suis impetraverat beneficia sanitatis, accessit ad eam; & flectens genua, posuit faciem suam super gremium suum, & cum lacrymis multis coepit instantissime postulare, quod meritis & precibus suis valeret beneficium luminis obtinere. Et cum longam moram contraxisset ita, tenendo caput suum in gremio ejus; & illa eam a se expellere non posset, tandem dixit: *Surge secure.* Et ecce oculi, qui prius erant obscurati, coeperunt lucidi apparere; & omnia clare videre; Sorores autem videntes hoc signum, coeperunt *Te Deum laudamus* in Choro cantare. Et cum per totum diem quasi sana mansisset; suggestum est ei, quod non deberet credere, quod meritis Benevenutæ curata fuisset. Et suggestioni sibi factæ coepit adhibere consensum, & tunc ad eam pristina cæcitas est reversa; quod Benevenutam non latuit. Unde sequenti die fecit eam ad se vocari, & dixit ei: *Quomodo vobis est Soror L.? (forte Lucia.)* Et cum præ verecundia non responderet, dixit Benevenuta: *Secundum fidem vestram accidit vobis.* Tunc illa cum multis lacrymis procidit ad pedes ejus, adhuc suam misericordiam postulando, nec ab ea poterat separari. Benevenuta vero fecit sibi portari Psalterium, & aperiens illud præsentavit ei, & dixit, *quod legeret.* Quæ respondit, *quod non poterat, quia vos non volueritis.* Benevenuta vero ponens manum super litteram, & postea removens eam dixit, *quod legeret.* Et aperte legit Psalmum, quem operuerat manus ejus; erat autem Psalmus, *Voce mea.* Et volvens cartam, non valuit legere, dicens: *ego non possum legere, quia non vultis;* & sic recessit ab ea. Mane autem surgens ad matutinas per se legit matutinas, & semper postea vidit cum claris oculis. Benevenuta autem, sequenti die tota, oculis suis nil vidit, sic ut.

ut ipsamet testata fuit : tantum temporis stetit Benevenuta sine visio-
ne, quantum steterat Soror L. in sua incredulitate.

Item in eodem Conventu fuit quædam Virgo nobilis de *Strasolt*, no-
mine *Aicha*, quæ in gula infirmata cum febre gravissima ad tantum
devenit, quod nec cibum, nec brodium, nec aquam, nec vinum, nec
aliquid sorbibile quinque diebus potuit transglutire. Medicus autem, qui
curam ejus gerebat, de sua salute desperans, jussit sibi dari unctionem
extremam. Interea Benevenutæ in domo sua existenti apparuit B. Do-
minicus dicens ei: *Vade cito ad domum Sororum nostrarum de Cella,*
& Sororem Aicham jam morti proximam sanabis; verumtamen ni-
hil ei facias, nisi postquam extremam susceperit unctionem. Quæ
sine dilatione accipiens quandam vicinam suam, quia Soror sua carna-
lis noluit secum ire; cum festinatione venit ad domum Sororum no-
strarum de Cella, & statim sibi ostium fuit apertum, & intravit, &
accessit ad infirmam, postquam Sacramentum unctionis acceperat. Et
videns eam infirma confortata est: erat enim multam fiduciam habens
in ea, & dixit ei: *Spero multum, si manu vestra dabitis mihi po-*
tum, quia nimis indigeo; & primo benedixeritis, & postea ex eo
biberitis, quod bene potero bibere. Et Benevenuta, sicut postulaverat
infirmam, complens omnia porrexit ei potum; & statim sine difficultate
bibit infirma; & non solum bibit, sed etiam comedit: & subito redu-
cta est non solum pristinæ sanitati, sed etiam majori. Quia quædam
cibaria, quæ prius comedere non poterat, sicut lac, & fructus quos-
dam; & si comedebat, maximis doloribus vexabatur; postea semper
non solum leniter, sed & libenter comedit, optimum ex ipsis sentiens
juvamentum. Sequenti die venit Medicus ad visitandum eam; quæ præ-
sentiens ejus adventum, sana, & hilaris ridendo occurrit ei: quam cum
vidisset Medicus, Crucis signaculo se munivit, & ait: *quod impossi-*
bile erat secundum naturam tam subito tantam mutationem in ea
factam fuisse, nisi divina virtute. Et mirans, & ædificatus recessit
ab ea. Hæc signa sanitatum & multa alia, quæ longum esset scribere,
& omnia supradicta fecit Dominus noster Jesus Christus per Beneve-
nutam in supradicto Conventu Sororum nostrarum: quorum omnium
multæ Sorores antiquiores, sapientiores, & religiosiores, quæ essent in
illo Conventu, testimonium reddiderunt.

A N N O T A T I O N E S.

(18) *Ubi fundatur calor spirita-*
lis. . . . ubi est fundamentum caloris
naturalis. Calor spiritalis idem cum
spiribus, qui animales vocantur.

Avicennæ doctrinam fortasse indicat
Auctor, Libro I. Capite II. inquiens:
„ Quod in corpore est calidius,
„ est spiritus, & cor, a quo proce-
dit: „

„dit: deinde *sanguis*, licet in *hepa-* bro, V. *Calor*, inquit: *Calorem*
 „te generetur. “ Utrumque *calo-* naturalem habere fundamentum in *san-*
 rem, ex *spiritibus*, & *sanguine or-* guine, & *spiritibus*, colligitur ex
 tum, vocat *naturalem* Antonius Mu- Galeno &c. Hæc mihi satis est in-
 fa *Brasavolus* in *Indice* in *Galen* li- nuisse.

C A P U T X.

Mirabili cibo, plures annos, ab Archangelo Gabriele reficitur: quæ res post obitum ejus coram populo e suggestu narratur a Fr. Conrado Confessario.

NOn solum supradicta mirabilia fecit Dominus Jesus Christus per devotissimam Benevenutam, sed multo majora fecit in ea, antequam veniret ad locum Sororum. Cum enim cœpisset infirmari de illa infirmitate, in qua quinque annis decumberat, venit ad eam circa horam nonam decorus quidam juvenis cum mappa candidissima, cum pixide nobili & valde lucenti; & accipiens ex eo cum digitis suis, quod erat in pixide, posuit in os Benevenutæ, & abiit nil dicens. Ex illa gustatione tantam sensit Benevenuta dulcedinem, & tantam consolationem, quod lingua hominis explicare non posset. Post hoc cœpit Benevenuta cogitare, & mirari, quare ille, qui sic venit ad eam, non se manifestavit, sciens eum nuncium Dei, & quod nihil dixit ei ex parte Dei. Quare cœpit instanter Dominum deprecari, quod dignaretur adhuc ad eam eundem remittere nuncium, & quod sui sibi panderet veritatem. Et ecce sequenti die eadem hora, & eodem modo sicut prius, rediit idem nuncius, & salutans eam dixit: *quod voluntas Dei fuit, quod in primo adventu sui nihil diceret, ut faceret orationem, quam fecit; & ad suam petitionem manifestaret se sibi. Postea dixit: Ego sum nuncius ille, qui de Filio missus est ad Virginem Marrem, & de Matre ad Filium: ego sum Angelus Gabriel.* Et cibavit eam sicut prius, & abiit. Et sic postea quotidie fecit, quasi quinque annis continuis usque ad diem Annunciationis; in quo, sicut supradictum est, mirabiliter curata fuit. Sed postquam comedit cibum terrenum, risum scilicet cum lacte amygdalarum, Angelus de cætero amplius non attulit cibum; sicut populus Israeliticus qui eductus fuerat de Ægypto, postquam comedit fructus terræ promissionis, defecit sibi manna cæleste.

Hoc tam grande negotium Benevenuta manifestavit Priori Veronensi Confessori suo, sed coacta, quia Confessor suus coegit eam. Et de mandato ejus dixit *Domina Jacobina* devotæ viduæ fideli sociæ, & secre-

secretariæ suæ, sub sigillo tamen confessionis utrique, quod nulli manifestarent, quandiu vixerint in hac vita. Simili modo multa alia valde miranda manifestavit eis: & ipsi omnia secreta servantes; quamdiu vixit, nemini retulerunt.

Postquam vero migravit ex hoc sæculo (19) quod fuit tertio Kal. Novembris, Frater *Conradus* Prior Veronensis Confessor suus prædicavit hoc mirabile sequenti Dominica, quæ fuit secundo die Novembris coram magno populo Civitatenſi in Ecclesia nostra, qui ad hoc convenerant, ut audirent prædicari de ipsa, quia multam devotionem habebant in ea in vita sua. Modo majorem devotionem habent post mortem.

A N N O T A T I O N E S.

(19) *Postquam vero migravit ex Novembris. Vide num. 34. & 36. hoc seculo, quod fuit tertio Kal. No-*

C A P U T XL

Oblatis suffragiis, Deo propitio, liberat a purgatoriis pœnis animam Fratris in dissidio interfecti, ac patris Conradi, dicti Bojan, & Abbatis Mosacensis, aliorumque. Eiusdem Benvenutæ Sorores.

PRædicavit etiam eadem hora, quomodo *Fratrem suum carnalem*, qui in quadam discordia, & turbatione mortuus fuerat, meritis & precibus suis, de pœnis purgatorii in brevi tempore liberavit. Prædictus etiam Prior *Veronensis* habebat quemdam (20) *Fratrem carnalem*, probum juvenem; qui cum quibusdam amicis suis convenerat ad quoddam festum. In quo festo inter aliquos est orta magna turbatio, sicut in tali tempore sæpius fieri consuevit: in qua turbatione dictus juvenis est graviter vulneratus, qui viriliter se defendens unum de adversariis occidit in continenti: ipse vero non statim obiit, sed portatus ad domum suam, ubi inter discordantes dimissis injuriis, & pace firmata, insuper Ecclesiasticis Sacramentis devote susceptis, ipse postea de hac vita migravit cum bona devotione. Videns vero Prior *Veronensis* fratrem suum sic esse defunctum; sciens ex alia parte *Benevenutam* esse magni meriti apud Deum, & cum Christo, & Beata Virgine, & aliis Sanctis familiarissimam esse, sicut Confessor suus specialis, qui sua magna merita noverat & virtutes; cœpit instare fortiter apud eam, ut meritis, & precibus suis intercederet apud Deum pro fra-

fratre suo, quem putabat in poenis purgatorii vehementissime cruciari. Ipsa vero se excusans humiliter, dicebat, quod ad hoc impetrandum ipse foret utilior. Prioris tamen instantia, & importunitate devicta promisit, quod postulabat Prior, se pro posse facturam. Et ecce non post multum temporis, postquam pro ipso coepit orare; dictus Defunctus quadam nocte, ipsa orante, apparuit sibi amictus lumine, & flexis genibus ante ipsam coepit regratiari sibi, & dicere, quod multae poenae, quas adhuc longo tempore debebat sustinere, meritis & precibus suis erant sibi dimissae; & ipse liberatus ab illis ibat ad Regnum gloriae: & sic disparuit. Non solum istum liberavit de poenis purgatorii, sed etiam *Patrem suum carnalem*, qui tenerrime dilexerat eam, & ipsa eum similiter versa vice. Hic enim (21) *Pater suus* fuit vir eloquens, sapiens, & discretus in negociis saecularibus; propterea esse consueverat advocatus, & sententiator negociorum saecularium, & iudiciorum, quae non secundum doctrinam legis scriptae, sed secundum consuetudinem Terrae suae determinabantur coram Domino Patriarcha. Hic ad extremam horam veniens, factis suis discrete dispositis, & rebus suis inter haeredes suos ordinate divisis; insuper devote receptis Ecclesiasticis Sacramentis, fiducialiter ex hac vita migravit. Et quia multa magna negocia saecularia habebat praemanibus in vita sua, idcirco salutis suffragiis plurimum indigebat; propterea non cessabat devotissima Benevenuta filia sua pro ipso quotidie Domini misericordiam postulare. Postquam vero a die obitus sui anni aliqui praeteriissent, apparuit *Pater* filiae in horribili habitu, petens majora suffragia. Quo viso, coepit filia inconsolabiliter compati Patri suo; & ex tunc omnibus affectionibus interioribus, & corporis afflictionibus apud Dominum intercedebat pro Patre suo, donans insuper ei coram Deo omnia bona merita sua, quibus aliquid meruerat in hac vita, ut ipsum de tantis poenis Dominus dignaretur eripere. Et post parvum tempus, in die scilicet Ascensionis Dominicae, apparuit *Pater* filiae cum ingenti lumine; gratias ei referens de suo adiutorio sibi dato, benedicendo diem, in quo ipsam genuerat: annuncians insuper ei, quod suis adjutus meritis tendebat ad gloriam: & sic disparuit. Cum autem obitus Patris anniversaria dies appropinquaret, venit ad eam quaedam (22) *Soror sua vidua*, conquerens quod non habebat necessaria, quibus anniversarium Patris celebrare posset, sicut volebat. Quae respondens dixit ei: *De cetero non sis sollicita de Patre nostro, quia certa sum, quia non indiget adiutorio nostro.* Quae cum diceret, quomodo sciret ista, timens vanitatis notam, modum sibi aperire nolebat. Quae cum vehementer instaret, ista ejus importunitate devicta sub sigillo confessionis modum sibi aperuit suprascriptum. Quae non servavit promissionis secretum, sed (23) manifestavit illud cuidam *Sorori suae Moniali* etiam sub se-

creto : quæ etiam non bene servavit secretum , sed etiam sub eodem modo personis manifestavit aliquibus . Quod tandem ad aures Benevenutæ pervenit ; de quo multum doluit , & valde reprehendit sororem suam , cui manifestaverat primo : nec unquam sibi secretum aliquod voluit revelare .

Non solum istos , sed & plures alios adhuc manens in hac vita de pœnis Purgatorii suis precibus , & meritis relevavit : quendam scilicet Cognatum suum , virum quondam prædictæ Sororis suæ viduæ , de quo alibi scriptum est : *Abbatem* (24) etiam *Mosacensem* , qui in Curia Romana ex hac vita migraverat : quandam etiam Religiosam , quæ infra Civitatem nata fuerat . Qui omnes postquam a pœnis liberati sunt , sibi luminosi apparuerunt , Deo , & sibi de tanto beneficio regredientes humiliter , & devote ; & post gratiarum actionem ad Regnum Beatorum alacriter ascendentes . Quæ omnia manifestavit Benevenuta adhuc vivens Fratri *Conrado* Confessori suo , & devotæ viduæ *Jacobi-næ* fideli sociæ , & secretariæ suæ sub sigillo confessionis , quod quamdiu viveret , nulli manifestarent . Et sic promiserunt , & fideliter servaverunt .

ANNOTATIONES.

(20) *Prædictus etiam Prior Veronensis* (*Frater Conradus Confessarius*) habebat quemdam fratrem carnalem , probum juvenem , qui cum quibusdam amicis suis convenerat ad quoddam festum . In quo festo inter aliquos est orta magna turbatio , sicut in tali tempore sæpius fieri consuevit . In qua turbatione dictus juvenis est graviter vulneratus , qui viriliter se defendens , unum de adversariis occidit incontinenti : ipse vero non statim obiit , sed portatus ad domum suam , ubi inter discordantes dimissis injuriis , & pace firmata , insuper ecclesiasticis Sacramentis devote susceptis , ipse postea de hac vita migravit cum bona devotione . Hunc Priorem Veronensem fuisse *Fr. Conradum Confessorem* , adnotavimus num. 11. eumdem scilicet cum *Fr. Conrado de Castellerio* , ut dictum est num. 7. An probus juvenis , in rixa in-

terfectus , *Fr. Conradi Frater carnalis* , fuerit ille , de quo in vetusto Necrologio primo scriptum legimus : *A. IX. Kal. Maii* (die 23. Aprilis) *M.CC.LXXXV. obiit Philippus de Castellerio frater Fratris Conradi* ?

(21) *Hic pater suus* (quem de pœnis purgatorii liberavit) fuit *Vir eloquens , sapiens , & discretus in negotiis secularibus* : propterea esse consueverat advocatus , & sententiator negotiorum secularium , & judiciorum quæ non secundum doctrinam legis scriptæ , sed secundum consuetudinem Terræ suæ determinabantur coram Domino Patriarcha &c. Patris *Benevenutæ* nomen , quod hoc loco reticetur , infra legimus in *Vita Capite XXII. Ego sum Benevenuta , Domini Bojani quondam filia* . Eumdem esse , atque *Conradum dictum Bojan* , adnotatum est num. 5. & num. 15.

Pru-

Prudentiæ, ac peritiæ, & in agendis dexteritatis fama clarebat in Civitate; gerebatque præcipua munia. In vetustis Membranis, scriptis anno 1250. Indict. 8. die 4. intrante Februario, & anno 1253. Indict. 11. die 11. exeunte Martio, memoratur *Conradus Boyanus Gastaldio Canonico-rum Civitatis*. In Diplomate fundationis Monasterii Sororum a Cella, cujus partem descripsimus num 16. hæc habentur adjuncta: „ Eodem „ die (XII. mensis Decembris, an- „ no 1267.) & loco, præsentibus „ testibus supradictis, Ven. Pater „ Dominus Gregorius (de Monte- „ longo) Sanctæ Aquilegiensis Se- „ dis Patriarcha, præcepit *Conrado dicto Boyano*, de Civitate, ut tam- „ quam *Procurator*, & *Domesticus Sororum Monasterii Sanctæ Mariæ* (a „ Cella) . . commodum ipsius Mo- „ nasterii & Sororum procurare de- „ beat, prout in omnibus melius „ poterit, & se exercere. “ Anno 1272. vacante post Gregorii de Montelongo obitum Ecclesia Aquilejensi, diffidia fervebant in Civitate, quæ in ejusdem Ecclesiæ Monumentis nostris narrantur. *Philippum*, Volrici Carinthiæ Ducis fratrem, sequebatur civium pars; alia *Otocherum* Regem Bohemiæ. Ex membrana, eodem anno scripta Indict. 15. die 3. exeunte Februario, addiscimus: „ D. „ Henricum de Portis, & *Boyanum* „ Potestates (aut Provisores) Civi- „ tatenſes usque ad proximum ven- „ turum festum Sancti Georgii, ju- „ ravisse Nobili Viro D. *Federico de Pinzano*, Vicario totius Forijulii „ Generali (pro Philippo laudato,) „ usque ad adventum Domini Pa- „ triarchæ, qui per Curiam Roma- „ nam erit datus. “ In primo sæpius citato Necrologio hæc habentur: C. II. (pridie) *Nonas Aprilis*, (die 4. ejusdem mensis,) anno Do-

mini M.CC.LXXX. Dominus *Conradus*, dictus *Boyanus*, obiit, qui fuit amicus noster. Consonat Necrologium secundum.

Uxor ejus *Domina Albertina*, *Benvolutæ* mater, ex utroque Necrologio innotescit: D. VIII. Idus Martii, (die octava ejusdem Mensis,) M.CC.LXXI. Obiit *Domina Albertina*, uxor Domini *Boyani*. *Albertinæ* patrem, & matrem, ac fratrem offert Membrana, quam servat Familiæ *Bojanæ* Tabularium. “ Mansum „ medium dedit (*Bojanus*) *Dominæ* „ *Emmæ* soceræ suæ, & *Paulo* cognato „ suo. . . Aliam medietatem dicti *Ba- „ jarcii* emit ipse *Bojanus* a prædictis „ *Socera*, & *Paulo* cognato . . . Item „ habebat, & habuit in dote cum „ *Albertina* uxore sua in *Brazzaco*. . . „ Item emit unum pratum, quod „ idem *Wariendus* olim emerat a „ Domino *Odolrico*, & *Domina Em- „ ma* foceris suis: “ idest *Bojani*, seu *Conradi Bojani*. Itaque *Albertina* erat filia *Odolrici*, & *Emmæ*: habebatque *Paulum* fratrem. *Odolrici*, & *Emmæ* uxoris familias alia indicat Membrana: “ 1215. die 5. intrante „ Aprili, Indictione 3. . . . Per- „ toldus *Camisinus*, una cum *Dietri- „ co* & *Pertoldo* nepotibus suis, & „ *Anitte* filie sue, dedit & contulit „ *Hemme* nepti suæ, & *Wolrico* de „ *Bultinico* Viro ejus, *Castenatum* „ unum in *Fornalis*. “ A pago, qui hodieque vocatur *Butinicus*, cognomen inerat *Volrico*, *Albertinæ* patri.

Chartæ vetustæ quamplures *Conradum*, dictum *Bojanum*, cognominatum exhibent de *Pertica*. In Membrana, quæ scripta fuit a Magistro *Anselmo*, ab Imperatore *Federico* Notario, anno Domini M.CC.XLIIII. Indictione II. XII. die intrante Decembri, in Civitate Austria in Choro Majoris Ecclesiæ, ita legimus: „ *Conra-*

„ *dus dictus Bojanus de Pertica*, qui
 „ vendidit Capitulo Civitatenſi unum
 „ Manſum, ſitum in *Grupignano*. “
 Membranam aliam accipe: „ Anno
 „ Domini M.CC.LI. Indictione IX.
 „ die XIII. exeunte Madio, extra
 „ portam *Sancti Petri* in *Viridario*
 „ Dominæ *Hemma de Bultinico* . . .
 „ *Laurentius*, *Conradus*, *Benevenuto*,
 „ & *Carluffius* fratres, filii
 „ quondam *Henrici de Pertica*, ven-
 „ diderunt *Conrado dicto Bojano de*
 „ *pertica* unum Campum &c. “ Certo
 innotefcit, *Conradum* noſtrum,
 ejuſque Majores vocari conſueviſſe
 de *Pertica*: ipſique *Bojani* nomen ad-
 junctum eſſe, quod Familiz cogno-
 men evaſit.

Appellationis originem pando. Sub-
 urbii, quod *Sancti Petri* hodieque di-
 citur, pars quædam vocabatur *Pertica*:
 eademque extra Suburbium protende-
 batur verius villulam, quæ dicitur *Grup-
 ignano*, non longe a Civitate diſ-
 ſitam. Dubitare non ſinunt documen-
 ta plura, quæ ſumuntur ex Volumi-
 ne *Cenſuali* Mſ. apud *Forojuliennes*
Canonicos. Nempe . 1262. . . . ſe-
 cundus vero campus jacet in *Pertica*.
 Et 1316. . . ad unum hortum ſitum in
Pertica. Item 1316. . : præſatus quon-
 dam Dominus *Benevenuto de Pertica*
 legavit dicto Capitulo unum cenſum . .
 ſuper quodam campo, domo, & orto
 eidem domui contiguus, ſitis in *Pertica*.
 Et 1348. . . ſuper unum Campum terræ
 aratoriæ, ſitum in pertitentiis Civitatis
 in loco, qui dicitur *Pertica*. Itemque
Lucia filia *Zanis de Burgo Sancti Pe-
 tri* ſolvit . . ſuper quadam terra, ſita
 in *Grupignano* in contrata, quæ dicitur
Pertica. Hanc *Pertica* nuncupationem,
 qua locus vocaretur in Civitate ejuſque
 in agro, vetuſtiſſima membrana con-
 firmat, quæ donationem *Abbatiz Sex-
 tenſi* factam continet: „ Anno XXXII.
 „ & XXV. quod Dominus *Karolus*; &
 „ *Pipinus* ceperunt Italiæ regnum,

„ menſe Julio 1. die, indictione XV.
 „ Facta Carta offerſionis. *Petrus*
 „ Diaconus dixit . . . *Curtis*, vi-
 „ neis in vico qui dicitur *Leproſo*,
 „ & in *Pertica* . . & campo uno in
 „ ipſo loco, qui dicitur *Pertica* . .
 „ & caſam unam & ortum unum in
 „ fra Civitatem prope Eccleſiam *Sancti*
 „ *Johannis Evangeliste* &c. “ Annum
 807. indicat quintadecima. Cum
 eodem æræ Chriſtianæ vulgaris anno
 concurrat annus XXXII. *Caroli* regnan-
 tis in Italia juxta epocham, quæ in
Forijulii provincia numerari conſuevit
 ab anno 775. labente, ex quo *Auſtriam*
 præoccupavit *Carolus*, ut adnotavimus
 num. 1. Regnum Italiæ obtinuit *Pi-
 pinus* anno 781. unde vigintiquinque
 anni ejus, qui efferuntur, vitio labo-
 rant. Annos reponere vigintifeptem.

Domicilium in *Sancti Petri* Suburbio
 habuiſſe nobilem Familiam, qua de
 agimus, certum facit compertumque
Vita Benvenuta Capite XII. Conſule
 Annotationem noſtram num. 25. Ad-
 do Membranam anni 1269. Indictionis
 12. diei 11. intrante Junio: ubi *Con-
 radus dictus Bojanus* memoratur, ha-
 bitans in *Burgo Sancti Petri*. In ea
 ſcilicet loci parte domum habebat,
 quæ *Pertica* vocabatur. A ſedis ergo
 loco cognomen ſumptum erat: quod
 aliis Nobilibus commune fuiſſe, innu-
 meræ chartæ, ac *Necrologia* evincunt,
 in quibus *Viri* perilluſtres nuncupati
 leguntur, v. g. de *Burgo pontis*, de
Burgo Brozana, de *Burgo Sancti Petri*,
 & *Sancti Dominici*, ac etiam de *Civi-
 tate*, de *Bultinico*, aliſque *agri Forojulienſis*
Caſtris, pagis, lociſque.

Num vero adduci cauſa queat ali-
 qua, ob quam ſitus prædictus in Sub-
 urbio *Sancti Petri*, ejuſque in agro,
 appellationem *Pertica* ſubierit? Haud
 ineptam accipe conjecturam. *Paulus*
Diaconus Libro V. *Hiſtoriz Langobardor.*
 Capite XXXIV. loci in Ci-
 vitate *Ticinenſi* mentionem ingeſcit,
 dicti

dicti ad *perticas*. Ait vero: „ Ad
 „ *perticas* autem locus ipse ideo dici-
 „ tur, quia ibi olim *pertica*, idest
 „ trabes erectæ stabant, quæ ob hanc
 „ causam *juxta morem Langobardorum*
 „ poni solebant: si quis enim in ali-
 „ quam partem, aut in bello, aut
 „ quomodocumque extinctus fuisset,
 „ consanguinei ejus intra sepulcra sua
 „ *Perticam* figebant; in cujus summi-
 „ tate columbam ex ligno factam po-
 „ nebant, quæ illuc versa esset, ubi
 „ illorum dilectus obiisset. Scilicet ut
 „ sciri posset, in quam partem is qui
 „ defunctus fuerat, quiesceret. “
 Anonymus Ticinensis *de Laudibus Pa-*
pæ apud Muratorium Tomo. XI. Scrip-
 torum Italiæ, sic ait Capite IV.
 „ *Ecclesia Sanctæ Mariæ in Pertica*.
 „ Canonica. Ibi est aliud antiquum
 „ Cœmeterium . . . Fertur autem,
 „ hanc Ecclesiam ideo dictam *in Per-*
tica: quia cum in ejus Cœmete-

„ *de longinquis partibus*, faciebant su-
 „ pra sepulcra sua singulas *perticas*,
 „ quibus discernerentur singula mo-
 „ numenta, plantari. “ Adhuc ex-
 stat in eodem *Sancti Petri Suburbio*,
 in eademque parte, ubi domicilium
Bojani habebant, vetusta *Sancti Ste-*
phani Ecclesia, quam insignis & præ-
 dives Præpositura ornabat, in Colle-
 gium Canoniorum *Sanctæ Mariæ* po-
 stea translata. Ejus mentio occurrit
 anno 1015. in Documento, quod in
 lucem protulimus in *Monumentis Ec-*
clesiæ Aquilejensis, Capite LIII. num.
 VIII. Dubitaverim nullus, in ejus-
 dem Ecclesiæ Cœmeterio, & agri
 contigui parte antiquitus tradi sepul-
 turæ *juxta morem Langobardorum* con-
 suevisse defunctos cum *pertica*: adeo-
 que vicino etiam situi, & loco no-
 men *Pertica* adhæsisse.

Conradi nostri, dicti *Bojani de Per-*
tica offerre schemma genealogicum li-
 ceat.

Conradus de Pertica, &
 uxor Werera.

Wecello.

Conradus dictus Bojan, &
 Albertina uxor.

N. qui obiit
 interfectus.

Jacobus Frater
 Ord. Præd.

Paulus.

sex Filia, tum Ben-
 venuta.

Priorem, & alteram, ac tertiam ge-
 nationem compertam faciunt Docu-
 menta, quæ sequuntur. „ M.CC.XV.
 „ die V. intrante Aprili, indictione
 „ III. in præsentia rogatorum te-
 „ stium, scilicet *Conradi de Pertica*,

„ *Wezelonis filii ejus*. . . Et M.CC.
 „ XLIV. Indictione II. die XII. in-
 „ trante Decembri . . . Canonici Ci-
 „ vitates per se, totumque Capi-
 „ tulum dederunt, & resignaverunt
 „ ad proprium *Conrado* (Bojano) fi-
 „ lio

„lio quondam Domini *Wezelonis de Pertica* . . . mansum unum in Moy-
 „maco . . . pro quo dictus *Conra-*
 „*dus* solvebat prædictæ Ecclesiæ Ci-
 „vitatenſi duos Congios vini . . .
 „pro animabus prædicti *D. Wezel-*
 „*onis*, & *D. Werera* matris ipsius *D.*
 „*Wezelonis*. “ In Membrana ſupe-
 „rius citata, quæ conditiones Terrarum
 (Conradi) *Bojani* continet, hæc ha-
 bentur : „ Primo habuit de patri-
 „monio domum in Civitate . . . &
 „medium mansum ſolventem unum
 „congium . . . pro anima Domini
 „*Wezelonis* patris ipsius, & unum
 „congium pro anima Domine *We-*
 „*vere* ave ipsius. “ Stemmatibus pars
 reliqua jam ſatis innotescit ex *Vi-*
 „*ta*, & infra magis illustrabitur.

Unius vero nobiliſſimæ gentis erant
 Familiæ plures. In vetuſtis Membra-
 nis, quæ ad hæc tempora pertinent,
 occurrit *Conradus filius Volrici de Per-*
tica. Legimus etiam *Joannem, & Con-*
radum filios Conradi de Pertica; item-
 que, *Laurentium, Conradum, Beneve-*
nutum, & Carluffium, filios Henrici
de Pertica, & Sofæ. Sed hujusmodi li-
 nearum connexiones cum linea *Con-*
radi dicti *Bojani* diligentius hoc loco
 perquirere nec vacat, nec libet. *Fan-*
lus, filius *Conradi*, ſtirpem propa-
 gavit, de quo infra dicendum num. 37.

22. *Venit ad eam* (Benvenutam)
 quædam Soror ſua vidua . . . quæ mani-
 feſtavit cuidam Sorori ſuæ *Moniali*. Præ-
 ter *Mariam* aliæ duæ notæ ſiunt *Ben-*
venutæ ſorores. De *Moniali* agendum
 numero inſequenti. Hujusce *Vidua* ito-
 rum paullo infra mentio: De pœnis
 purgatorii liberavit quemdam ſcilicet
 Cognatum ſuum, Virum quondam præ-
 dictæ Sororis ſuæ *Vidua*. Ac etiam Ca-
 pite XX. Ad felicem tranſitum ejus
 (Benvenutæ) . . . venit quidam Nepos
 ſuus, filius Sororis ſuæ *Vidua* . . . qui
 filius fuit Cognati ſui, cujus animam
 meritis ſuis de purgatorii pœnis eduxerat.

Hujusce Benvenutæ Sororis, ac Viri
 ejus nomina reticentur. Nomen illius
 exhibet Membrana jam citata, quæ
 conditiones Terrarum *Bojani* complecti-
 tur, his verbis: *Item dotavit filiam*
ſuam Maytild cum XXIII. manſis &c.
 In Necrologio primo Fratrum Prædi-
 catorum ſic adnotatur: *A. IIII. Idus*
Martii (die 12. ejusdem Menſis,) *anno*
Domini M.CCC.XXI. obiit Do-
mina Magrildis, filia Domini Bojani,
quæ fuit ſpecialis amica Fratrum.

(23) *Manifeſtavit illud cuidam So-*
rori ſuæ Moniali. . . . Et infra Capite
 XII. Cum hanc conſolationem mirabilem
 revelaffet cuidam Sorori ſuæ, & *Monia-*
li in Monasterio ſuo. Hujusce nomen
 Sororis, & *Monialis* exprimunt verba,
 quæ Capite XIX. habentur: *Hanc re-*
velationem diu ante (quam ſpiritum
ſuum Deo redderet) revelaverat Ben-
venuta Beatrici Moniali, Sorori ſuæ car-
nali, quæ ſuper eam præſens erat, quan-
do felix anima ſua egrediebatur a cor-
pore. Sub Sancti Benedicti regula hanc
 Benvenutæ Sororem militaſſe Deo in
 Monasterio Majori, ſeu Sanctæ *Mariæ*
in Valle, patefaciunt verba, quæ le-
 gimus Capite XXIII. „ Nempe,
 „erat in dicto Monasterio (Majori)
 „quædam *Monialis Beatrix* nomine . .
 „Hæc *Monialis* fuerat Soror carnalis
 „devotiſſimæ Benvenutæ, quæ habe-
 „bat peplum, quod Benvenuta portare
 „conſueverat ſuper Caput. “ Sub
 initium Vitæ legimus, caput ſuum
 peplo velare conſueviſſe Virginem pro-
 batiffimam. Peplum Ducangius expo-
 nit pannum lineum, quem *Moniales* ge-
 runt ſub mento. Hoc loco eſt velamen
 Capitis. Monasterium, ubi Deo fa-
 mulabatur *Beatrix*, dicebatur *Majus*,
 hodieque dicitur, ac Sanctæ *Mariæ in*
Valle. Conſule dicta num. 1. Sacri lo-
 ci vetuſtam originem, & ampliffima
 ornamenta recenſuimus in Monumentis
 Eccleſiæ *Aquilejenſis*, & in Commenta-
 rio *Historico* citato. .

Inter

Inter sex Benvenutæ Sorores jam tres innotescunt, *Maria*, *Matildis*, & *Beatrix*. Quartam offert vetustum Necrologium primum: *A. XVII. Kal. Augusti*, (die 16. Julii,) anno Domini *M.CC.LXXXVIII.* obiit *Conradina*, filia Domini *Bojani*. Quæ duæ supersunt, fortasse fuerunt *Adalmotta* filia *Conradi Bojani*, & *Lucart* filia quondam Domini *Conradi*, quarum obitus adnotantur in utroque Necrologio sine anno ad diem 14. & 16. Martii mensis.

(24) *Abbatem etiam Mosacensem*, qui in Curia Romana ex hac vita migraverat, (de panis purgatorii liberavit.) De Abbatæ Mosacensis origi-

ne seculo æræ Christianæ undecimo in ea Forojulienfis Provinciæ parte, quæ *Carnea* appellatur, sub nuncupatione *Sancti Galli*, egimus in Monumentis Ecclesiæ *Aquilejensis* Capite LVIII. num. IV. Abbatis nomen, & genus ignota mihi. Eam anno 1253. regebat Abbatiam *Wecelo*, ut ex Tabulis patet, quæ in lucem edidimus in Monumentis Ecclesiæ *Aquilejensis* Capite LXXIV. num. III. In Synodo Provinciali *Aquilejensi*, quam *Raimundus* Patriarcha anno 1282. celebravit, inter alios Abbates, *Rosaciensem*, *Beliniensem*, & *Oziacensem*, non comparet *Mosacensis*.

C A P U T XII.

Revelationes aliquæ, a Jesu Christo, & a Virgine Deipara factæ.

Mirabiles, & inauditas habuit gratias revelationum: existente quandoque spiritu intra corpus, quandoque remoto a corpore, quia sæpiissime rapiebatur in spiritu. Existente spiritu intra corpus, habuit revelationes quandoque a Christo, quandoque a Beata Virgine, quandoque a Christo & Beata Virgine simul, quandoque ab Angelis, quandoque a Beato Dominico.

A Christo habuit revelationem (25) in Ecclesia *B. Stephani*, quæ erat prope domum suam, quia in illa consueverat complere aliqua hora diei orationes, quas non poterat complevisse in Ecclesia Beati Domini. Quandoque etiam propter abundantiam imbrium, vel propter aliquod grande impedimentum non poterat venire ad Ecclesiam *B. Domini*, in illa Ecclesia habebat orandi consuetudinem; quia ad hoc est multum apta, a domibus scilicet hominum, & conversatione remota, & ideo valde quieta. In hac Ecclesia apparuit sibi Puerulus unus devotissimæ pulchritudinis, & mirandæ jocunditatis. Quem cum ad se vocasset Benevenuta, & cœpisset secum devotionis sermonibus jocundari; inter cætera dixit ei, *habes matrem?* Et ille respondit ei: *Et tu habes matrem?* Et illa respondit: *non habeo matrem*: quia nuper obierat mater sua. Et ille respondit: *ego bene habeo matrem*. Et illa quæsit ab eo: *scis tu Ave Maria?* & ille respondit ei: *Et tu scis Ave*

Ma-

Maria. Et illa respondit ei, scio. Tunc ille dixit ei: *modo dic tu*. Et cum illa dixisset: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus*; ultimo verbo prolato, ille respondit, & *ego sum ille*. Et hoc dicto, statim evanuit.

Item manifestavit se Dominus Jesus Christus Beneventæ in anno obitus sui, in die Resurrectionis Dominicæ. Cum enim in illa Septimana Sancta se preparasset Beneventa, sicut poterat, cum vigiliis, orationibus, & lacrymis, & cum aliis operibus devotionis ad digne celebranda salutis nostræ futura remedia; inter alia quæ postulavit a Domino hoc petivit, ut apparitionis, qua apparuit *Mariæ Madgalenæ*, dignaretur sibi formam, & modum ostendere. Et ecce in die Resurrectionis diluculo, ipsa orante in cubiculo suo; eo modo quo postulaverat, apparuit sibi Dominus. Et hac apparitione ab ea suscepta cum illa gratiarum actione, & humilitate, qua potuit, dicit ei Dominus: *Vade ad Ecclesiam, & fac ibi, quod debes facere, & cum redieris domum, tibi iterum apparebo*. Et cum venisset ad Ecclesiam, exhibet Frater unus, Confessor scilicet suus, ad Altare Beatæ Virginis ad celebrandum, & communicandum quasdam personas: & vidit, quod cum eo veniebat Beata Virgo. Et cum ascendisset Sacerdos gradus Altaris, Beata Virgo super Altare conscendit; & tandiu fuit ibi, donec fuit Missa completa. Et cum Sacerdos (26) communicaret personas, Beata Virgo cuilibet communicanti humiliter inclinabat. Et cum postea porrigeretur Calix cum vino cuilibet, qui communionem acceperat, quando ventum est ad Beneventam, tunc Beata Virgo de Altari descendit, & tenens Calicem ex adversa parte cum eo, qui prius tenuerat, sibi vinum cum Calice propinavit. Cum autem Sacerdos rediret de Altari versus Sacristiam; vidit Beneventa, quod Beata Virgo Sacerdotem euntem interius est secuta.

Et cum ad domum suam reversa fuisset Beneventa, secundo apparuit sibi Dominus, sicut antea promiserat. Quæ ad pedes ejus humiliter se prostravit cum multa, & humili gratiarum actione, sine cessatione lacrymas effundendo: & Dominus ad eam dixit: *Cur tantum ploras? Numquid vis esse altera Magdalena? Noli plorare, quia ista, quæ volui ostendere tibi; postquam facta sunt, multa tempora transierunt*.

A Beata Virgine plures, & pulchras, & magnas habuit revelationes. Quodam tempore appropinquante die Nativitatis Dominicæ, aliquibus diebus ante, sicut erat bona consuetudo sua, paravit se cum vigiliis, orationibus, & lacrymis, & aliis devotionis operibus, ut digne coleret tam grande Festum, & ut Dominus aliquam specialem consolationem faceret in illo Festo. Et cum venisset nox benedicta Nativitatis Domini,

mini, ipsa erat in Ecclesia Beati Dominici: & contemplante ipsa, quomodo in nocte tam aspera involverat Dominum paucis, & vilibus pannis Virgo puerpera; magno compassionis affectu, & desiderio devotionis accensa, petivit a Beata Virgine, *quod impartiret sibi, ut videret Dominum in illa forma.* Et cum oraret ante *Altare B. Petri Martyris*, vidit quandam Dominam parvulum in brachiis bajulantem, & cum ea quemdam virum propectæ ætatis baculum tenentem in manibus. Et Domina dixit ad illam: *Revertere in domum tuam, & quod postulasti, in hac nocte videbis.* Et cum ad domum suam reversa fuisset, apparuit sibi Beata Virgo cum prædicto viro in cubiculo suo, & ait illi: *Accipe, quod petisti.* Et posuit Filium in brachiis suis. Et cum per bonam horam tenuisset eum cum ineffabili cordis júbilo, & consolatione mirabili, dixit ad eam Beata Virgo: *Modo redde mihi Filium meum, quia satis tenuisti eum.* Et accepto Filio, postea disparuit, manente Benevenuta magnifice consolata.

Item revelavit Beata Virgo Benevenutæ quandam orationem, quam pro ipsa fecerat *Soror Weremburg, Priorissa Sororum nostrarum*, in nocte Annunciationis Dominicæ, quæ oratio consecuta est miræ virtutis effectum. Quia propter multas genuflexiones, quas Benevenuta quotidie faciebat, genua ejus, modo unum, modo aliud in diversis temporibus apostemata fecerunt; & aliqua illorum apostematum sunt cum incisione curata. Ultimum autem illorum apostematum fuit, postquam curata fuit per Beatum Dominicum. Occultavit autem multis diebus, sperans, quod per se ipsum detumesceret & curaretur. Sed cum è converso fieret, quia magis intumescebat de die in diem, ad tantum devenit, quod tam grande pondus secum portare nequibat. Et vocato Magistro *Bonifacio perito chyrurgico*, cum quodam suo socio in Vigilia Nativitatis Domini, genu cum instrumentis ferreis perforato, sanguinis non modica quantitas emanavit, patientissima Benevenuta, sine quo aliquis teneret eam, absque clamore immobili permanente. Et posita tasta magna in vulnere, ut inde humores, qui tumorem fecerant, purgarentur, remansit sic a prædicta Vigilia usque ad Vigiliam Annunciationis Dominicæ. Illud autem, quod infra hoc tempus de vulnere purgabatur, ponendo etiam ad nasum, nihil mali penitus habebat odoris: de quo Medicus valde mirabatur. Imo è converso, quædam persona superveniens, quando Medicus mundabat genu, dixit odorem delectabilem se sensisse; quod attestabatur (27) miram munditiem hominis utriusque. Dixit autem Benevenuta Medico in vigilia Annunciationis: *Magister, de licentia vestra vellem ire ad Ecclesiam, & in tanto Festo interesse divinis.* Cogitans autem Medicus infra se, dixit: *Volo, quod Deus sit Medicus ei.* Et dissolvens genu, & extrahenstatam magnam de vulnere, quæ tasta fuerat de una magna candela colata;

lata; & appposito quodam emplastro super genu, ligavit eam, & dixit: *Nihil moveas de ista ligatura, donec ad te veniam; & quando cras ibis ad Ecclesiam, ego volo tecum venire, ut succurram tibi, si quid contrarium eveniret.* Sequenti nocte Soror Weremburg, Priorissa prædicta, orationem pro Benevenuta fecit ad Dominum, quod precibus Beatæ Matris suæ dignaretur eam curare de ista sua infirmitate tali curatione, quod esset ad gloriam, & honorem suum, & suæ Beatissimæ Matris. Ipsa die, vel sequenti venit Medicus ad videndum, qualiter stabat genu cum vulnere; & ligatura soluta, invenit vulnus perfecte sanatum, & genu detumefactum; quod fuisset impossibile, nisi multorum dierum spatio, Medico, & naturæ. Et Domino gratias egerunt. Et post aliquos dies venit Benevenuta ad visitandam Priorissam prædictam; & cum quæreret ab ea, quam orationem fecisset pro ea in nocte Annunciationis Dominicæ; & ipsa diceret quod nesciret, quia non recordabatur; dixit Benevenuta: *Vos fecistis pro me istam orationem.* Et dixit ei formam orationis præscriptæ. Quod cum duceret ad memoriam, quod vere sic erat, admirari coepit, & dixit ei: *Quomodo scitis?* Et respondit: *quia Beata Virgo dixit mihi.*

Item multoties revelavit se Beata Virgo sibi quodam modo mirabili. Cum enim aliquando de nocte in contemplatione persisteret cogitans de Beata Virgine, & benedicto Filio suo; eorum inflammata desiderio exibat sub divo, existente cælo stellato, & oculis in cælum semper intenta videbat aliquandiu cælum aperiri, & Beatam Virginem habentem Filium in ulnis suis tam prope descendere versus eam, quod poterat Filium cum Matre clare discernere. Et cum aliquam moram contraxisset ibidem, devotissimæ Benevenutæ desiderio consolato, Beata Virgo se cum Filio recipiebat in Cælum. Et paulatim Cælum postea claudabatur, relinquens in fine clausuræ quamdam virgam rubeam, & longam in modum longæ lanceæ militaris: & hoc post clausuram per bonum spatium temporis apparebat. Hæc revelatio sibi frequenter apparuit, & specialiter tribus vicibus in una nocte. Istarum revelationum testimonia reddunt Priorissa prædicta, & devota Vidua Jacobina secreteria sua, quæ audierunt ab ipsa.

Item propter devotionem specialem, quam habebat Benevenuta ad diem sabbathi, ob reverentiam B. Virginis diem illum cum multo gaudio præstolabatur: & cum advenisset, cum majori devotione, & pluribus vigiliis, & orationibus expendebat: & propter hoc meruit a Deo, & a Beata Virgine in illa die gratiam specialem. Quia in omni nocte, quæ præcedebat sabbathum, circa quartam horam noctis, audiebat quemdam cantum, & armoniam cælestem, de qua consolationem mirabilem reportabat. Et cum hanc consolationem mirabilem revelasset cuidam Sorori suæ, & Moniali in Monasterio suo, non loquendo de persona sua,

sua, sed quasi de alia, (quia ista erat sua forma loquendi in omnibus revelationibus, & mirabilibus suis;) contigit, quod venit ad Monasterium sororis, ut aliquibus diebus secum consolaretur. Cum autem simul in uno loco jacerent, & nox illa sabbathi advenisset, deposuit se *Monialis*: Benevenuta autem secundum consuetudinem suam contemplationi, & orationi vacabat. *Monialis* autem soror sua recordata de melodia cælesti, quam prius manifestaverat ei; coepit vigilare, & observare, si ipsa prædictam melodiam posset audire. Et cum jam præterisset hora, in qua audiri debuerat, dixit *Monialis* ad Benevenutam: *Quare non te deponis? Modo video, quod tu non es illa, quæ audivit illam melodiam cælestem, de qua mihi supra dixisti, quia hucusque vigila- vi, & diligenter auscultavi, nec aliquid audire potui.* Et Benevenuta fortiter ridendo respondit: *Certe illa, quæ debuit audire, bene audivit.*

A Christo, & Beata Virgine simul, quadam vice habuit revelatio- nem. Cum enim infirmaretur de illa infirmitate, in qua multis annis se de loco movere non potuit, & federet in cathedra sua, in qua die, ac nocte aliquibus annis sedendo vivebat, quia jacere non poterat; coepit contemplari, & cogitare, quantus fuerat dolor Beatæ Virginis in illo triduo, in quo cum dolore quærendo, puer Jesus in Templo remanserat. Et cupiens in tanto dolore Beatam Virginem sociare, quia tempore vitæ suæ fuit cum doloribus assueta, adhuc quærebat dolores carnis; prosperitatem, & corporis sanitatem fugiens versa vice. Et coepit Dominum Jesum Christum, & Beatam Virginem instanter rogare, quod hoc dignaretur sibi concedere donum: *quod prædictum Beata Virginis deberet in se sentire dolorem.* Et ecce quadam vice apparuit sibi quædam honesta, & devota Domina cum quodam pulchro, & eleganti puerulo, qui circa ipsam coepit per cubiculum ambulare. In cujus aspectu, & conversatione coepit magnifice delectari. Et quærens aliquando eum tangere, ille se subtrahebat ab ea: & subito uterque disparuit. Et ecce vehemens dolor cum lacrymis eam invasit, & coepit crescere semper, & eam tam vehementer affligere, quod nullam poterat consolationem recipere; & videbatur sibi, quod anima vellet exire de corpore. Unde coacta fuit Beatam Virginem invocare: *quod ju- varet eam, quia plus non poterat sustinere.* Et post triduum apparuit sibi Beata Virgo cum Filio suo parvulo, & posuit Fi- lium in brachiis suis: & tunc omnis dolor, & amaritudo recessit, & fuit ei mirabilis consolatio restituta. Et dixit ei Beata Virgo: *Tu vo- luisti sentire dolorem meum, quem habui in amissione Filii mei, & sensisti: sed noli de cætero similia appetere.*

ANNOTATIONES.

(25) *A Christo habuit revelationem in Ecclesia Sancti Stephani, quæ erat prope domum suam. Superius hæc habentur: Veniebat ad Ecclesiam Sancti Domini, quæ tantum distabat a domo sua, quantum bis forte jaciaret Ballista. Exstat hodieque Ecclesia Sancti Stephani, quæ & Crucifixi appellatur, in Suburbio Sancti Petri. In ea, ædibusque adjunctis, undecimo seculo, ac remotiore ætate, Deo militabant Canonici sub Præposito. Amplissimam donationem edidimus in Monumentis Ecclesie Aquilejensis Capite LIII. num. VIII. abs Joanne Patriarcha anno 1015. factam Moronto Præposito, necnon omnibus Sancti Stephani Canonicis, habitantibus in Civitate Forijulii. Hanc Præposituram, atque Canonicam, abundantem opibus, & privilegiis atque jurisdictionibus ornatissimam, Gerardus Patriarcha anno 1122. aut etiam Prædecessorum aliquis, univerat insigni Canonicorum Collegio Sanctæ Mariæ. Alia datus plura in citatis Monumentis. Prope hanc Ecclesiam domus erat Benvenuta, familiarque. Post allata verba legimus in Vita: „ In illa (Ecclesia „ Sancti Stephani) consueverat Benvenuta complere, aliqua hora diei, „ orationes quas non poterat comple-*

„ visse in Ecclesia Sancti Domini- „ ci ... quia ad hoc est multum apta, „ a domibus scilicet hominum & con- „ versatione remota: & ideo valde „ quæta. „ Canonici namque, qui divina ibidem persolvebant officia, ad Majorem Sanctæ Mariæ Ecclesiam transmigraverant. In eo Suburbii loco, qui dicebatur Pertica, exstasse Benvenutæ domum, adnotavimus num. 21.

(26) *Cum Sacerdos communicaret personas ... & postea porrigeretur calix cum vino cuilibet, qui communionem acceperat. Mos erat, ut iis qui facram acceperant Oblatam, vinum non consecratum de Calice ad hoc parato porrigeretur, abluendi repurgandique oris causa. Alios hujusce purificationis post communionem ritus vide apud Martenium de Antiquis Ecclesiæ Ritibus Libro. I. Capite IV. Articulo X. num. XV.*

(27) *Miram munditiem hominis utriusque. Hominem utrumque intellige hoc loco animum, & corpus. Utriusque vero mira munditia commendatur in Benvenuta. Mutius Sforza italicæ vertit: Il che era seguò quanto fosse netta e polita questa Vergine nell'huomo interiore, & esteriore. Rectissime.*

C A P U T XIII.

Alia revelationes, factæ ab Angelis, ac Spiritibus Beatis.

AB Angelis etiam magnas habuit revelationes. Inter quas fuit illa præcipua, & stupenda, quæ superius est descripta, quando quasi quinque annis continuis cibo cælesti nutrita est quotidie ab Angelo Gabriele; quod quandiu fiebat, prudens Virgo nulli hominum voluit revelare. Quando vero coacta fuit dicere, non nisi sub sigillo confessionis mani-

manifestare voluit: scilicet quod quandiu viveret, nemini diceret; quod fuit fideliter promissum, & firmiter observatum. Post mortem vero ejus, ad gloriam Dei, & ad manifestandam Virginis merita, fuit publice prædicatum: & sic satisfactum est omnibus, qui mirabantur, unde vivebat, quia cibum parvissimum, quem post decem dies quandoque sumebat, semper totaliter evomebat.

Item duo Angeli apparuerunt sibi in nocte præcedenti Nativitatem Beatæ Virginis in ultimo anno, quo migravit ex hoc sæculo, hoc modo. Cum appropinquaret Nativitas Beatæ Virginis, secundum suam bonam consuetudinem paravit se ante aliquibus diebus cum pluribus vigiliis, & orationibus, & aliis devotionis operibus, ut festivitatem in proximo venturam posset dignius celebrare: & quod Deus in illo festo consolationem sibi faceret specialem. Et cum nox Nativitatis Beatæ Virginis advenisset, contemplari coepit super Beatæ Virginis Nativitate mirabili: & postquam nata fuit, qualis erat conditionis & formæ, & qualiter suis diebus bajulabatur a matre. Et tunc coepit vehementi desiderio querere hanc sibi largiri gratiam, quod posset eam tali forma videre. Et insuper cum instantia postulavit, quod Dominus Jesus Christus cum Beata Virgine matre sua huic sancto suo desiderio satisfacere dignaretur. Post hæc venerunt ad eam duo juvenes elegantes, salutantes eam, & dicentes: *Famula Dei, salvet te Dominus*. Quos cum debita reverentia, & humili gratiarum actione suscepit. Cui unus eorum dixit: *Cognoscis me?* Et ostendens focium dixit: *istum bene cognoscis?* Quibus illa respondit: *Non cognosco, sed obsecro vos, veritatem pandite mihi*. Respondit, qui primus loquutus fuerat: *ego sum Raphael Angelus; iste est Angelus Gabriel, qui te toties visitavit*. Et addidit: *ecce exaudita est oratio tua, quam hac nocte fecisti: jam cito veniet Mater cum Filia. Tu autem in terram prostrata, debes eas cum multa reverentia, & devotione suscipere. Quando autem Mater ostendet tibi Filiam, si Filia adversum te extenderit manus suas, & tu manus tuas extends adversus eam, & ipsam recipies. Si autem non extenderit, nec tu debes tuam adversus eam extendere*. Et his dictis disparuerunt. Et subito apparuit ei Mater cum Filia, & quodam honesto viro in cubiculo suo, & salutavit eam dicens: *salvet te Dominus, vera famula Dei*. Et vir, qui cum eis erat, cum quodam vultu jocundo incepit eam devote respicere dicens: *Benedicta tu a Domino amica, & vera famula Dei*. Quæ in terram prostrata, sicut fuerat edocta, cum lacrymis coepit humiles & maximas actiones gratiarum agere. Et surgenti ostendit Mater Filiam, & dixit: *Ecce, quod postulasti*. Et cum devoto intuitu Benevenuta respiceret Filiam, Filia manus suas extendit adversus eam. Et Benevenuta suas extendens, accepit eam in ulnas suas. Et cum coepisset consolari cum ea, & loqui, & ipsa ei nihil dice-

diceret; dixit Matri: *Facite, quod mihi respondeat*. Et dixit Mater: *Jam bene scis tu, quod puerulæ talis ætatis nesciunt loqui*. Et cum per magnam horam tenuisset Benevenuta Filiam, dixit ei Mater; *modo redde mihi filiam meam, quia satis tenuisti eam*. Et recepta Filia, se ad cælestia contulerunt, remanente Benevenuta magnifice consolata. Et hæc manifestatio fuit per xv. hebdomadas ante diem obitus sui.

A Beato Dominico (28) pulchram habuit revelationem. In quodam Festo suo, existente spiritu intra corpus; cum enim aliquibus diebus ante Festum præparasset se more solito cum suis devotionis operibus, ut in illo Festo precibus & meritis Beati Dominici Deus sibi aliquam gratiam faceret specialem; post primas Vesperas Festivitatis, existente Benevenuta in Ecclesia Beati Dominici, apparuit sibi *Beatus Dominicus* cum *Beato Petro Martyre*, salutans eam, & dicens: *Quod postulasti a Domino, obtinuisti; adeoque hodie antequam exeat de Ecclesia, videbis consolationem placentem tibi*: & disparuit. Et ecce cum post Completorium (29) Fratres exirent exterius processionaliter more solito cantando *Salve Regina*, vidit quod Beatus Dominicus exivit cum eis in loco Prioris: quia *F. Girardus de Barbara*, qui tunc erat Prior, non erat in terra. Et cum pervenissent exterius, posuit se Beatus Dominicus in loco Prioris; & veniente Hebdomadario, & aspergente Fratres cum aqua benedicta, sequebatur illum Beatus Dominicus, amplectendo & osculando unumquemque Fratrem, quem ille aspererat. Et amplexatis omnibus, & osculatis, rediit ad Prioris locum: & cantata *Salve Regina*, cum Fratres redirent, Beatus Dominicus intravit cum eis; & tendens usque ad Altare suum, & post Altare divertens, amplius non est visus.

Similiter sequenti die post Completorium simili modo exterius Fratribus exeuntibus Beata Virgo exivit cum eis in loco Prioris, & cum exiissent, stetit in loco Prioris: & veniente Hebdomadario, & aspergente Fratres, sequebatur illum Beata Virgo; unicuique quem ille aspererat, inclinando. Postea reversa est ad locum Prioris: & cum Fratres redirent in Chorum, intravit cum eis, & disparuit.

Item vidit quandoque Benevenuta Beatam Virginem in medio duorum Acholythorum, quando cantabatur *Salve Regina*, tenentem Filium suum in manibus suis versa facie versus Fratres. Et quando cantabant, *O Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende*; ipsa manus cum Filio extendebat versus Fratres, & quandoque signa Crucis faciebat cum Filio super Fratres.

Item (30) vidit quandoque in die Pentecostes, quando cantabatur hymnus, *Veni creator Spiritus*, flammam igneam totum Chorum Fratrum operientem. Et tunc Benevenuta prospiciebat super homines, qui erant in Ecclesia, si aliquis videbat, quod ipsa videbat. Et cum per-

penderet, quod nullus advertebat, nisi ipsa sola; gratias Deo agebat, magnifice consolata.

Item maximas habuit revelationes, existente spiritu extra corpus; quod sibi sæpissime, & multum sæpissime contingebat, & quandoque pluries in una die: & tunc videbat magnalia Dei, & Sanctorum quæ fiebant super terram, & magnalia Dei & Sanctorum quæ fiebant in Cælo: sed raro illa manifestabat. Et hæc erat natura, & conditio sui raptus. In quali situ, & forma erat corpus, quando exibat spiritus, in tali permanebat, donec revertebatur. Si stabat corpus, vel sedebat, vel prostrata super terram, vel in alio quocumque situ erat, sic manebat, donec spiritus revertebatur: interim nec videbat, nec audiebat, nec aliquid sentiebat. Quando vero redibat spiritus, suspiria longa, & tremula faciebat. Et si aliquando perpendebat, quod raptum sui aliquis advertisset, verecundabatur non modicum.

ANNOTATIONES.

(28) *A Beato Dominico pulcrum habuit revelationem. In quodam Festo suo. (B. Dominici) &c. Præcipuum Sancti Dominici Festum intelligere par est, quod anno quodam incerto celebraverit Benvenuta. Ejus ætate, ac multo post, celebrari consueverat die quinta, seu nonis Augusti. Hanc diem indictam legimus a Gregorio IX. in Bulla Canonizationis: Injungentes, ut nonis Augusti (die 5.) ante diem, quo posita carnis sarcina . . . penetravit in sancta . . . ejus Natalem celebretis. Id habent vero vetusta Manuscripta, ac etiam typis edita Kalendaria, Missalibus & Breviariis præfixa: eoque in Necrologio primo Foro-Julienſi sæpe jam citato, quod Benvenuta synchronum est, legimus: Nonis (Augusti) Natale Beatissimi Patris nostri Dominici. Totum duplex. Cassiani M.*

Cur vero a sexta emortuali Sancti Dominici die Festum ejus ad quintam præcedentem retractum fuerit? Baronius in Notis ad Martyrologium sic ait: Litteris Apostolicis Gregorii

IX. precipitur, ut ad nonas Augusti, ante diem obitus ejus, quo relatus est inter Sanctos, anniversaria ejus Solemnitas in Ecclesia ageretur. Fallitur Vir egregius. Constat quippe, Canonizationis Bullam editam esse Reate V. nonas Julii, (idest die 3. ejusdem Mensis) Pontificatus anno octavo, Christi 1234. Franciscus Pagius in Breviario Historico-Chronologico-Critico Pontificum Romanorum Tomo III. in Gregorio IX. num. XXXII. censet, diem Augusti sextam Sancti Dominici emortualem concurrisse cum Solemnitate Transfigurationis Domini, quæ longe ante hæc tempora celebrari consueverat: Festum vero Sanctæ Mariæ ad Nives non fuisse tunc solemniter celebratum, vel ejus celebrationem fuisse intermissam; diem scilicet quinta Augusti: adeoque ad hanc diem mandasse summum Pontificem, ut Festum ageretur Sancti Dominici.

Atqui vero non Festum Transfigurationis, sed Festum Sancti Sixti Pontificis & Martyris ea ætate celebrari die

die sexta Augusti consuevisse in Ecclesia Romana, & in Ordine Prædicatorum, tametsi Transfigurationem Domini quædam Ecclesiæ colere potuerint, evincunt Kalendaria seculi tridecimi, & insequentis. Necrologium Forojuliense citatum sic habet: *VIII. Idus, (die 6. Augusti,) Sixti, Felicissimi, & Agapiti Mm. Memoria.* Alia possideo Romana Breviaria duo MSS. in folio minore, quæ diem sextam ejusdem mensis Augusti *Sixto, ac Sociis Martyribus* sacram exhibent: itemque Mf. Missale Romanum in quarto, cum his verbis, *VIII. Idus, S. Sixti P. & M.* Apud Jacobum Echardum ex Codice Mf. Bernardi Guidonis examen *primi Testis* in Processu Canonizationis inducitur, cujus hæc verba sunt pag. 46. col. 1. num. 7. in fine: *Et dixit, quod in Festo Sancti Sixti proxime præterito fuerunt duodecim anni, quod migravit ad Dominum.* Clarissime patet, Dominici ætate Transfigurationem Salvatoris celebrari die sexta Augusti non consuevisse. Hinc Echardi animadversio est in Nota E: *falli, qui hæcenus putarunt, Festum B. Dominici ab octavo Idus ad Nonas Augusti a Gregorio IX. translatum ratione Festi Transfigurationis, cum nonnisi ob Festum Sancti Sixti Summi Pontificis & Martyris (hujus nominis, II.) id factum fuerit.*

Antonius Pagius, Francisci Nepos, in Breviario &c. Pontificum Romanorum Tomo V. in Callisto III. num. XVII. celebre jam fuisse Festum Transfigurationis adnotat tam apud Græcos, quam apud Latinos, aliquos nimirum: sed anno 1457. ob memoriam cladis Turcicæ anno superiore die 22. Julii divinitus concessæ, per universum orbem sub Officio duplici celebrandum die sexta Augusti mandasse laudatum Summum Pontificem Calistum. Sed hanc solemnitatem in Ordine Prædicatorum aliquando actam pridie nonas Augusti,

seu die quarta, Kalendarium exhibet, quod Psalterio, seu Breviario Mf. secundum ordinem Fratrum Prædicatorum præfixum est, in quo legimus: *II. (Nonas) Augusti. Sancti Salvatoris. Nonis: S. Dominici Confessoris. VIII. Id. Sanctorum Martyrum Sixti, Feli. & Agapiti.*

Adi Festum Sanctæ Mariæ ad Nives quod attinet: Radulfus de Rivo, Decanus Tungrensis, qui incepto seculo quintodecimo vita migravit, in Libro de Canonum observantia, Propositione XXII. memorat Festum de Nive inter eâ, quæ Romæ in aliquibus saltem Ecclesiis celebrabantur. In Mf. Romano Breviario in folio minore, quod mihi præsto est, Sancta Maria ad Nives non legitur. Alia duo in minore pariter folio sic habent: (Die 5. Augusti) *Sanctæ Mariæ ad Nives. Sancti Dominici*: itemque in Missali Romano in quarto, *Nonis (Aug.) Sanctæ Mariæ ad Nives. Sancti Dominici.* In Bullario Ordinis Fratrum Prædicatorum exstat Tomo V. pag. 53. Pauli IV. Constitutio, data die 6. Augusti anno 1558. ubi Summi Pontificis verba sunt: *Cum (B. Dominici) memoriam Nonis Augusti (die 5.) qua die est Festum B. Mariæ ad Nives, quæ ea die de calo hic in urbe in ea Montis Exquilini parte in qua nunc Templum ejusdem B. Mariæ Majoris dicitur, volente Domino ceciderunt, sub Officio duplici celebramus, forsan ex eo quod ipsa die octavoidus Augusti, (die 6.) Transfigurationem Domini & Redemptoris nostri Jesu Christi sub simili Officio duplici veneramus, diem ejus obitus præveniendò recolatur . . . Festivitatem ipsius pridie nonas Augusti (die 4.) singulis annis, perpetuis futuris temporibus, in Universi orbis Ecclesiis sub duplici Officio, solemniter celebrari volumus &c.*

Hæc in Ordine Prædicatorum non obtinuit statim translatio. In Brevia-

rio typis edito Venetiis apud Juntas M.D.LXXIX. in folio minore sub Francisco Romæo Magistro Generali ita legimus in Calendario: *Pridie Non. 4. (sine ulla Festi alicujus mentione.) Nonis 5. Beati Dominici Confessoris. Totum duplex. VIII. (id.) 6. Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi. Eadem habentur in alio Breviario in folio, typis edito Venetiis M. D.XCVI. apud Jo. Bernardum Sessam, & Babaretium, sub Hippolito Maria Beccaria Generali Magistro. Patet, neque de priore loco motum Sancti Dominici Festum, neque investam solemnitatem Sanctæ Mariæ ad Nives. In Actis Capituli Generalis Vallisolei habitis Romæ anno 1605. sub Hieronymo Xavierre, inter Ordinationes num. 2. statuitur, ut *Festum Beate Virginis ad Nives quinta die Augusti sub toto duplici celebretur. Fuerint ergo Beati Dominici Solemnia ad diem quartam translata. In Bullario Ordinis Fratrum Prædicatorum Tomo V. pag. 349. exstat Gregorii XIII. Constitutio, data die 25. Junii anno 1577. qua decernitur, ut Sancti Patris Dominici dies festus sit in Hispaniis ab opere feriatas: diesque Nonarum Augusti, seu dies quinta, memoratur. At Paulus V. demum in Bulla data anno 1610. ac die 27. Julii statuit, ut Festum ejusdem Beati die 4. Augusti celebretur in eisdem Hispaniarum Regnis, juxta ordinationem a Capitulo Generali ejusdem Ordinis desuper editam. Hæc vero pro data occasione differuisse, dispendium operæ non fuerit.**

(29.) *Cum post Completorium Fratres exirent exterius (extra Chorum) processionaliter more solito cantando, Salve*

Regina, vidit (Benvenuta,) quod Beatus Dominicus exivit cum eis in loco Prioris, quia Frater Girardus de Barbara, qui tunc erat Prior, non erat in Terra. In Regesto Priorum, qui Cœnobium Civitatense, aut Forojuliense rexerunt, ad M.CC.XC. legitur Girardus de Barbatano: idem sine dubio, cujus hoc loco mentio in Vita. Regestum consule in Commentario nostro Historico de Rebus Congregationis Capite VII.num. V. Altare suum, idest Sancti Dominici, quod infra memoratur, præcipuum locum in Ecclesia tenebat, claudebatque Chorum.

(30) *Vidit quandoque in die Pentecostes ... flammam igneam totum Chorum Fratrum operientem. Et infra Capite XIV. Vidit multas guttas sanguinis super velam, quod tenuerat super caput. Hæc, & alia Benvenutæ divinitus concessa charismata indicat vetusta inscriptio, quæ legitur in Claustro Romani Cœnobii sub titulo Sancti Sixti „ Benenata de Austria, „ Virgo nobilitate insignis, sed sanctitate præclarior, numquam carne, & vino usa est, ter qualibet nocte ferrea catena se affligebat, „ fere semper ab Angelo Gabriele cælestibus epulis cibata fuit, a „ Virgine Maria puerum Jesum nocte Nativitatis Domini habuit, sanctissime in raptu vidit arcana Dei, „ in die Pentecostes flammam igneam „ supra singulos Fratres vidit, Christi dolores meditans sanguinis lacrymas „ fudit, quas Angelus vase accepit. „ Compendio collecta sunt, quæ latiore sermone narrantur in Vita. Vide num. 47.*

CAPUT XIV.

Revelatio de Passione Domini. Aliæ revelationes divinitus factæ.

IN ultimo anno vitæ suæ, quando incipiunt cantari Passiones Domini in Ecclesiis Dei, scilicet in die Dominico de Ramis Palmarum, & per totam illam septimanam sanctam, coepit se disponere cum toto mentis affectu, & corporis conatu ad celebranda cum devotione multa Dominicæ Passionis sacra mysteria: sperans, quod tunc sibi Dominus faceret gratiam aliquam specialem. Et contemplando qualiter Dominus coenavit cum discipulis suis, & qualiter post coenam exivit cum eis ad locum orationis, & quomodo in oratione sudor sanguinis emanavit, & qualiter Judas proditor venit cum turbis, & ministris Judæorum & luminaribus & armis, & osculando Dominum prodidit, & cætera quæ sequuntur; coepit vehementi desiderio anhelare, quomodo videre posset loca, & personas, modum & formam omnium, quæ circa Passionem Domini facta fuerunt, & cum instantia multa est Dominum deprecata, ut Passionis suæ deberet sentire dolorem, & in dolore Passionis suæ posset Beatam Virginem sociare. Et ecce in hora Ccenæ, & in die Ccenæ Domini, quando coenatus est Dominus cum discipulis suis; raptus est extra corpus spiritus ejus, & vidit Dominum coenantem cum discipulis suis; & audivit verba, quæ loquutus est super mensam cum eis; & qualiter oravit, & qualiter proditus fuit, & quomodo illuserunt ei in domo Principis Sacerdotum, & quomodo flagellatus est ad columnam. Et dixit, (31) *quod domus, in qua flagellatus est, erat quædam domus obscura, in qua non erat aliquis, nisi illi duo, qui eum flagellabant, & unus Apostolus; sed quis fuerit ille Apostolus, nescitur.* Et erat etiam ibi Beneventæ spiritus, qui vehementissime affligebatur ex flagellis, quæ Dominus sustinebat. Et accessit ad Dominum spiritus, & amarissime flendo coepit amplexari Dominum cum columna. Postea vidit, quomodo data est sententia mortis super eum; & qualiter etiam posita est Crux super eum, & quomodo bajulans sibi crucem, ibat ad supplicium; & quomodo sequebatur illum multitudo mulierum flentium, & lamentantium Dominum. Et cum istis mulieribus ibat spiritus Beneventæ flendo similiter, & ejulando. Et quando pervenerunt ad montem Calvariæ, quomodo est positus super Crucem, & elevatus in altum. Et vidit Beatam Virginem flentem, & audivit verba lamentationis ejus. Spiritus Beneventæ stabat juxta Crucem, & amarissime flendo amplectebatur Crucem. Et vidit qualiter circa horam nonam cum clamore, & lacrymis expiravit: & vidit quomodo depositus est de Cruce, & positus in sepulchro. Et breviter omnia, quæ circa Passio-

Passionem Domini gesta sunt, ita integraliter, & aperte vidit, ac si fuisset ibi cum corpore, & anima quando facta fuerunt. Et his per ordinem visis, reversus est spiritus ad corpus suum, secum ferens dolorem Passionis Christi, quem habuerat extra corpus existens.

Ex quo dolore fuit corpus adeo impeditum, quod nec comedere, nec bibere, nec dormire, nec aliquid facere, nec etiam se a lacrymis poterat continere. Et post hæc astitit ei Gabriel Angelus, salutans eam & dicens: *Habes bene, quod voluisti, & a Domino postulasti.* Quæ respondit: *Utique; & rogo quod propter hoc Domino Deo meo gratias multiplices agas: & postules pro me, quod dignetur, si placet ei, dolorem meum quantum ad exteriorem hominem mitigare, ut possim hodie ad Ecclesiam ire, & officio interesse, ut angustiam doloris mei homines non advertant.* Cui Angelus: *Sustine modicum, & respondebo tibi.* Et disparuit: & post modicum est reversus, dicens: *Habes quod postulas; quo vis, vade secure.* Mane vero luceſcente vidit multas guttas sanguinis super velum, quod tenuerat super caput; & tentans si de naso sibi aliquid sanguinis exivisset, & minime reperiens, cognovit, quod fuerunt lacrymæ suæ, quæ colorem sanguinis portendebant, sicut & alias sibi acciderat. Et mutans velum, ad Ecclesiam venit ponens se in angulo Ecclesiæ, ubi semper consuevit esse statio ejus; & prosternens se super banchas super quas sedent homines, & cogitans super Passione Domini, sicut in nocte præviderat, tantam effudit multitudinem lacrymarum; & extremitas veli sui, cum quo terferat lacrymas suas, adeo madefacta erat, ac si de aqua extracta fuisset. Insuper in banco, super quo prostrata jacuerat, videbantur rivuli, & vestigia lacrymarum; sicut testatur devota vidua *Jacobina* fidelis secretaria sua, quæ juxta eam orabat. Et dixit, quod tunc vidit oculos ejus in modum sanguinis rubore perfusos. Eiusdem etiam coloris fuerunt lacrymæ: sed advertere non potuit devota vidua *Jacobina*, nec alia persona, nisi sola Benevenuta: sic enim postulaverat a Domino Benevenuta, & obtinuerat quod nemo posset angustiam ejus cognoscere; ne notabilis fieret inter homines, & præberet eis de se causam aliquam obloquendi. Istæ lacrymæ, & aliæ, quæ effusæ fuerunt in præcedenti nocte, sunt lacrymæ illæ, quas collegit Angelus in vase splendenti, & ostendit Benevenutæ in die Paschæ, dicens: *Istæ sunt lacrymæ, quas his diebus propter Passionem Domini dimisisti: ecce deferò eas in Cælum, quia non est dignum ut in terra permaneant.* Duravit autem dolor in Benevenuta, sicut prius, tota illa die, & nocte sequenti, & in Sabbatho sancto usque ad Missam. Cum autem in Missa inceptum esset *Gloria in excelsis Deo*, dolor fuit in aliquo mitigatus. Cum autem Sacerdos elevasset corpus Domini, vidit eum in forma pulchri pueri, & tunc dolor est magis mitigatus. In elevatione autem calicis vidit eundem.

dem puerulum stantem super calicem, super labia calicis pedes hinc inde tenentem: tunc dolor est amplius mitigatus, & deinceps coepit dolor decrecendo recedere.

In sequenti autem mane diluculo in die Paschæ apparuit Dominus, sicut apparuerat Magdalenæ, & prosternens se ad pedes ejus cum multis lacrymis, & vocans eum, non potuit eum tangere. Et Dominus ad eam: *Cur tantum flet? Numquid vis esse alia Magdalena? Si fuisses tempore suo, sicut ipsa fecit, similiter & tu fecisses. Sed vade ad Ecclesiam, & fac quod ibi habes facere, & in reversione iterum me videbis:* & disparuit. Et venit Benevenuta ad Ecclesiam, & communicavit: & in reversione apparuit sibi Dominus, sicut apparuerat duabus mulieribus revertentibus de sepulchro. Quæ prostravit se ad pedes cum multa gratiarum actione, & abundantia lacrymarum; & disparuit. Alias etiam apparuit sibi ter in die Paschæ; sed non dixit ubi, vel quomodo.

Post prandium in die Paschæ cum remansisset Benevenuta sola in cubiculo suo, quia Soror sua exiverat cum aliis in publico; apparuit ei Beata Virgo cum tribus aliis Mariis, & salutavit Benevenutam affectuosissime dicens ei: *Quia sociasti me his diebus in dolore Passionis. Filii mei cum his devotis tuis; ideo veni cum eis ad sociandum te, & consolandum in gaudio resurrectionis.* Quæ cum multa humilitate, & maxima gratiarum actione regratiata est sibi; & longa mora contraxit cum ea loquendo. Quæ manifestare noluit, quæ dixerat sibi; & etiam quasdam personas recommendavit Benevenuta Beatæ Virgini, quas etiam noluit nominare. Et mirabilem habuit consolationem cum Beata Virgine, & aliis Sanctis Dominabus, quæ erant cum ea: quia per totum illud spatium, quod fuit inter duo signa prædicationis, conversationem, & colloquutionem cum eis habuit.

In ultimo anno vitæ suæ habuit Benevenuta revelationem valde magnificam, & valde mirabilem in Festo Assumptionis Dominæ nostræ. Cum enim appropinquaret ista solemnitas, coepit Benevenuta præparare se cum omnibus viribus interioris & exterioris hominis, ut cum devotione multa tam devotæ solemnitatis posset gaudia celebrare; sperans semper in Domino, quod in hoc festo Dominus sibi consolationem faceret specialem. Et ecce in nocte præcedente solemnitatem istam, apparuit sibi B. Virgo cum B. Joanne Baptista, & B. Joanne Evangelista, & B. Dominico, & cum Beatissimis Virginibus Catherina, & Agnete, cantantibus alternatim cælestes cantus cum cælestibus melodiis. Et elevans B. Virgo manum indixit silentium, & Benevenutam affectuose salutans dixit ei: *Ad istud festum meum cum sollicitudine multa, & devotione debita te parasti; & ideo cum istis Sanctis tuis, in quibus specialem habes devotionem, veni facere tibi Festum, & ad visitandum*

te,

*te, ut videas, qualiter fit hodiernum festum a Cælorum civibus in Ecclesia triumphante. Et volo te scire, quod non est super terra aliquis spiritus incarnatus, cui Filius meus hodie faciat tantam gratiam, sicut tibi: quia noluit aliquem nuncium de Cælo mittere ad invitandum te ad festivitatem meam, nisi memetipsam: & ego ex parte ipsius, & ex parte mea invito te, ut gaudiis Assumptionis meæ in Cælum hodie debeas interesse: & disparuit. Et tunc raptus est Benevenutæ spiritus extra corpus, & positus est in medio B. Catherinæ, & B. Agnetis; qui videbat quomodo Dominus Jesus Christus portabat animam Beatissimæ Matris suæ; & qualiter sequebantur eum omnes Angeli, & Sancti qui ibi aderant, cum canticis, & jubilationibus secundum ordines, & gradus suos processionaliter ascendendo. Tunc ad concentum ascendentium, cœtus Angelorum, ac Sanctorum, qui in Cælum remanserant, cum canticis, & gaudiis obviam processerunt; sicque in Cælum gaudens suscipitur, & transcendens gradus omnes Sanctorum, & ordines Angelorum, a dextris Filii in throno gloriæ collocatur. Tunc B. Virgo Beatæ Agnetis innuit subridendo, quod diceret spiritui: *quod amodo recederet, quia satis viderat*. Spiritus noluit, sed dixit, *quod volebat festum totum videre*. Angeli vero tunc circumdederunt Dominum nostrum Jesum Christum, & paraverunt eum ad Missam: ipse vero Dominus incepit officium Missæ, & cæteri prosequabantur: sed vox Domini super voces omnium resonabat. Et terminato officio, ad corpus suum spiritus est reversus.*

Item habuit Benevenuta revelationem devotam in Festo Translationis Beati Dominici, quod fuit ante Festum istum Assumptionis B. Virginis. Cum enim ad Festum prædictum se cum suis consuetis devotionibus præparasset; in nocte præcedenti Festum Translationis apparuit sibi oranti B. Dominicus circa medietatem noctis, & eam cum devotione salutans dixit: *quod a Beata Virgine missus erat, ut nuntiaret sibi, quod in hoc Festo suo specialem consolationem habitura esset a Domino: & disparuit*. Et tunc raptus est spiritus ejus, & subito ductus usque Bononiam in Ecclesia B. Dominici; & vidit ibi B. Virginem cum choro Virginum juxta arcam Beati Dominici; & spiritus ejus in medio duarum Virginum, scilicet B. Catherinæ, & B. Margaretæ ad jussu B. Virginis est locatus. Et tunc vidit societates Sanctorum cantando, se juxta arcam & per Ecclesiam diffundentes. Et cum ibidem cantando, moram aliquam contraxissent, ascendeabant cantando: & alia societas de Cælo cantando similiter descendeabat. Et cum fecisset sicut prima, tertia etiam descendeabat, & sic alternatim descenderunt multæ societates Sanctorum secundum ordines, & gradus suos usque ad auroram. Beatus autem Dominicus docebat spiritum, & nominabat sibi Sanctos descendentes, & ascendentes secundum ordines, & gradus suos. Vi-

dens.

dens autem spiritus Benevenutæ Fratres in Ecclesia facientes Officium, & per Ecclesiam discurrentes, dicebat Beato Dominico: *Vident nos modo Fratres?* Et dicebat B. Dominicus: *Ne timeas filia, quia nequam videre nos possunt.* Circa vero auroram reversus est spiritus ad corpus suum: & in illa die cum corpore, & spiritu fecit nobiscum Festum in Ecclesia B. Dominici Conventus Civitatenfis. Istam revelationem manifestavit Benevenuta Sorori Weremburg, quondam Priorissæ Sororum nostrarum, & quibusdam aliis Sororibus nostris: manifestavit etiam devotæ viduæ Jacobinæ fidei secretariæ suæ sub sigillo confessionis, quod quamdiu viveret, nemini diceret.

Item eodem anno in Festo sequenti B. Michaelis raptus est spiritus ejus; & juxta Purgatorium est locatus: & vidit multas animas de pœnis Purgatorii liberatas, quæ sibi gratias agentes dixerunt, quod suis essent meritis liberatæ. Aderat autem ibi Michael Archangelus, & rogavit eum Benevenuta, ut dignaretur rogare Dominum, quod de hac vita tolleretur eam in gloriam suam. Et respondit ei: *Nondum est hora, adhuc multum est utilis vita tua. Sicut enim meritis tuis sunt istæ animæ liberatæ, adhuc sunt multæ in Purgatorio, quæ tuum auxilium præstolantur: nihilominus petitionem, quam postulas, coram Domino præsentabo.* Plures alias revelationes manifestavit Fratri Conrado Priori Veronensi Confessori suo, & devotæ viduæ Jacobinæ fidei secretariæ suæ, quas non potuerunt servare memoriæ. Aliquas etiam majores aliis reservavit, quas nemini dixit. Promittebat eas suo tempore se dicturam, sed morte præventa manifestare non potuit.

ANNOTATIONES.

(31) Et dixit, quod domus in qua flagellatus est, erat quadam domus obscura, in qua non erat aliquis nisi illi duo qui eum flagellabant, & unus Apostolus; sed quis fuerit ille Apostolus nescitur. Beata Maria Magdalena de Pazzis, Sanctimonialis Florentina, sanctitate & revelationibus illustris, in Ecstasi cognovisse fertur, Christum a triginta paribus hominum, idest sexaginta ministris, fuisse flagellatum,

cum alii aliis novi recentisque succederent. Hæc refert Cornelius a Lapide in Caput XXVII. Matthæi, ex ejus Vita Parte VI. Sancta Birgitta Libro I. Revelationum Capite X. tradit, Beatam Virginem interfuisse flagellationi Jesuchristi. Sunt nempe piarum meditationum, ac mentis fervore affectæ, innoxia phantasmata.

C A P U T XV.

*Benevenuta spiritu prophetiæ donata. Futura prædicit, & pandit
secreta cordium.*

IN pluribus etiam habuit spiritum prophetiæ, multis personis manifestans sui cordis occulta, & futura prædicens. Cum *Soror Wilburgis* de dormitorio ad Primam dicendam veniret ad Chorum; in ipso itinere invasit eam tentatio diabolica, timor, & angustia multa: videbatur enim sibi, quod nunquam aliquid, quod Deo gratum esset, operata fuisset; & idcirco Domino abominabilis esset, & ideo indigna Dei misericordia, & consortio Beatorum. Et cum in his cogitationibus moram contraheret, timor, & angustia interioris hominis coepit exterius declarari; ita quod Sorores, quæ erant in Choro, & dicebant Primam, videntes faciem ejus valde mutatam, & male dispositam, accesserunt ad eam dicentes: *Soror Wilburgis, vos valde male habetis, exite de Choro, & ite quiescere.* Et cum exiret de Choro, Benevenuta, quæ erat in eadem Ecclesia in quadam occulta sede, ab aliis Chori sedibus separata, præsentiens exivit de sede sua, & venit obviam ei; & manibus suis capiens caput ejus, posuit super pectus suum dicens: *Soror carissima, nihil timeas, quia non es damnata, sed es in bono statu Animæ tuæ, & Dei amica.* Et ex tunc sine moræ dilatione, tam interius, quam exterius, est in contrariam dispositionem transmutata; gaudium, & lætitiæ, & consolationem gerens in corde, jocunditatem, & hilaritatem demonstrans in facie; & de cætero melius quam prius fuerat consolata. Et hoc dixit *Soror Wilburgis* coram pluribus Sororibus.

Cum *Soror Margareta* in Festo B. Cecilie stetit in oratione, & eodem die venisset ad Benevenutam; Benevenuta orationem quam fecerat *Margareta*, sibi per ordinem recitavit: & hoc confessa fuit *Soror Margareta* coram multis Sororibus. Soror etiam *Bortholotta* cum quadam die stetit in oratione, cum venisset ad Benevenutam; Benevenuta etiam sibi suam per ordinem dixit orationem: Et hoc *Soror Bortholotta* asseruit coram quibusdam Sororibus.

Item cum quædam *Domina Sæcularis* misisset quamdam vestem nobilem de Scarlato cuidam Sorori dicti loci cognatæ suæ; rogando instant, quod consueret super dictam vestem quasdam margaritas, & quosdam muliebres ornatus; & dicta Soror non auderet hoc facere sine licentia *Priorissæ*, accessit ad Priorissam pro dicta licentia. Priorissa vero noluit sibi eam concedere. Dicta vero Soror coepit pro dicta licentia, ut satisfaceret cognatæ suæ, apud Priorissam vehementer instare dicens, quod valde occulte faceret dictum opus. Priorissa vero ad instantiam

ejus

eius condescendit voluntati ejus tali conditione, ut diceret illi cognatæ suæ, quod nec ipsa, nec alia pro simili opere eas de cætero non gravaret. Et insuper dixit dictæ Sorori, quod istud opus faceret ita occulte, quod ab aliis nesciretur. Propter quod dicta Soror accepit unam Sororem, & in occulto loco, in angulo scilicet dormitorii inceperunt facere dictum opus. Benevenuta erat in domo propria, quando ista fiebant; sequenti vero mane ad Ecclesiam B. Dominici veniens, loquuta est cum illa matrona, de qua supra facta est mentio, quæ habet libertatem intrandi, & exeundi locum Sororum nostrarum, & dixit ei: *Dicatis Sorori Nicholottæ, quod bene meruit, quod una manus sua fieret, sicut est alia. Et ideo dixit, quia infirmatur in una manu, nec ita potens est ad operandum cum una manu, sicut cum alia: quare se abscondit in angulo dormitorii, ut faciat tale opus. Bene vidit Dominus, & B. Virgo, & S. Dominicus; & displicet eis.* Hæc autem cum audiisset dicta Matrona, & quid diceret, penitus ignoraret; coepit admirari in verbis ejus: & rediens ad Claustrum dixit Priorissæ, & Sorori Nicholottæ verba prædicta, quæ sibi Benevenuta dixerat increpando. Quæ etiam coeperunt similiter admirari, quia istud negotium erat ita occultum, quod etiam de domo persona nulla sciebat. Et multa his similia de Benevenuta possent scribi, si scribere non gravaret. Hæc superscripta dixit mihi, qui hæc scripsi, Priorissa coram pluribus Sororibus suis.

C A P U T XVI.

Sororis a Cella munia, licet absens, visibili modo supplet.

Soror Margareta, tertia feria Pentecostes, cum non audiisset signum matutinarum, defuit a matutinis. Visa est autem alia persona in eisdem matutinis cum Sororibus in Choro & in sede sua, in statura, in habitu, & in voce Sorori Margaretae per omnia similis; officia, quæ debebat facere Soror Margareta, cuncta perficiens. Die autem facto coepit conqueri Soror Margareta, & verecundari, & dolere non modicum, quod in tanta solemnitate cum aliis non fuerat in matutinis. Aliæ vero Sorores contra eam dicebant, quod bene fuerat in matutinis, & quod viderant eam legentem, & cantantem, & cuncta officia facientem. Negante autem firmiter Sorore Margareta, quod non fuerat, & versa vice aliis contrarium affirmantibus, coeperunt omnes non modicum admirari. Maxima autem causa propter quam dolebat Soror Margareta, quod non fuerat in matutinis, erat Benevenuta, quæ erat ei valde devota, &
amica

amica specialissima; ne occasione hujus defectus obloquutio aliqua fieret contra Benevenutam. Fuerunt autem aliquæ Sorores dicentes: Hoc non est aliud, nisi quod Benevenuta, divina eam adjuvante virtute, voluit sub specie Sororis Margaretæ suæ devotæ, ne confunderetur, supplere defectum.

Eodem (32) die *Domina Leucardis*, matrona scilicet illa, quæ moratur cum Sororibus in habitu sæculari, veniens ad Ecclesiam B. Dominici, & inveniens Benevenutam, narravit ei per ordinem supradictum negotium, & dixit: *Vere vos estis, quæ Sororis Margaretæ defectum supplevit*. Quæ nec negavit, nec affirmavit; sed ridendo respondit, *majora feci pro Sorore Margaretâ*.

Simile huic negotio accidit alia vice. Post Festum B. Petri Martyris, sequenti die, cum Soror *Margareta* esset debilis, dixit ei Priorissa: *Nolite hac nocte surgere ad matutinas, estis nimis debilis*. Cum autem Sorores surrexissent ad matutinas; & sicut moris est, illæ matutinæ solemniter cantarentur, & Soror *Margareta* quiesceret, sicut ei Priorissa dixerat, & jam magna pars matutinarum cantata fuisset; audiens Soror *Margareta* solemniter cantare Sorores, propter devotionem noluit plus quiescere, sed surrexit. A principio autem matutinarum visa est, ei per omnia similis, & vices suas per omnia complens. Postquam autem surrexit Soror *Margareta*, venit ad chorum, & ante Altare inclinans veniebat ad sedem suam: & cum jam intrasset formas, super quas appodiant se Sorores, quando faciunt prostrationes; videns Soror *Catherina*; quæ erat collateralis sua, Sororem *Margaretam* venientem, & aliam per omnia similem juxta se in sua sede manentem, obstupuit, & ivit obviam Sorori *Margaretæ*, & tenens eam dixit: *Quenam estis?* Quæ respondens ait, *Ego sum Soror Margareta*. Et vertens se Soror *Catherina* vidit, quod illa, quæ steterat juxta eam, de sede illa recesserat; & amplius non est visa. Soror *Margareta*, quæ de novo venerat, stetit in sede sua; & complevit cum aliis Sororibus matutinas. Et plures Sorores adverterunt istud mirabile factum.

Semel etiam cum Soror *Margareta* non fuisset in Nona, visa est alia in sede sua, ei, sicut dictum est, per omnia similis. *Jacobina* etiam devota vidua, Benevenutæ secretaria, audivit ab ea, quod fuit quædam persona (sic enim loquebatur in tertia persona de seipsa quasi semper, cum loqueretur aliquod mirabile factum) quæ in loco Sororum nostrarum supplevit defectum cujusdam Sororis, quæ defuerat a matutinis in cantando, & legendo, & omnia officia dictæ Sororis in ejus specie faciendo.

Post hæc autem cum venisset Benevenuta ad fenestram Sororum nostrarum, & ibi esset Priorissa cum Sororibus pluribus; Soror *Margareta* regratiata est ei, dicens: *Carissima Benevenuta regratior vobis,*

I

quod

quod vestrae placuit caritati in talibus matutinis meum supplere defectum, & cooperire opprobrium verecundiae meae. Et cum hoc dictum quae ibi erant Sorores certe confirmarent, Benevenuta ad haec verba verecundiae robore perfusa, coepit rogare, quod dimitterent ista verba, nec sibi de cetero talia loquerentur.

ANNOTATIONES.

(32) Eodem die Domina Leucardis, Matrona scilicet illa, quae moratur cum sororibus in habitu seculari, veniens ad Ecclesiam Beati Dominici, & inveniens Benvenutam. Haec eadem est, de qua supra: Ad Ecclesiam Beati Dominici veniens (Benvenuta) locuta est cum illa Matrona . . . quae habet libertatem intrandi, & exeundi locum sororum nostrarum. Infra haec habentur: Benvenuta remansit in Capitulo (Sororum) stando, quia non poterat se movere; & cum ea remansit Domina Leucardis, quae non habebat habitum Religionis. An fuerit Leucardis illa, quam memorat Julianus saepe laudatus in Chronico Foro-Julienfi, his verbis ad annum M.CC.XCII. „Alsubetta, neptis Dominae Lucardis, „fecit sibi fieri Heremitorium, prius „ad Sanctum Stephanum, (qua de „Ecclesia dictum est num. 25.) & „fuit clausa per Magistrum Julianum, „Thesaurarium Civitatis Ecclesiae, „in Festo Assumptionis Sanctae „Mariae, anno praescripto? De Mulieribus hujuscemodi Reclusis apud Ecclesias consule, ut alios praetermittam Scriptores, Bernardum Pez in Actis Ven. Wilburgis Capite XI. & Venetum Senatorem amplissimum Flaminium Cornelium in Ecclesiis Venetis Vol. XVIII. in Indice V. Reclusae.

Operae dispendium non fuerit Epigraphem subicere, plumbo insculptam, quam exponendam ad me transmisit Ornatissimus Marchio Josephus

Gravisi, Patricius Justinopolitanus. „An. Dni Millo cc.° Lxxi.° xiiii. „(Indictione) die tcio decio exeunte Augusto. vivente Dno Conrado Di gra Epo Justin. Soror Cuniza de Carithia virgo de hoc seculo migravit. q vita sua dux honeste cum hoberdientia apud Sacilum i ordine humiliatar circa annos xxij. et propt persecutioem et crudelitatem guerre Icelini de Romano ad Civitat Justinplitana pervenit cum pluribus sororibus suis. et tunc supplicet et devote noiato (in postica plumbi parte) Dno Epo de licecia sui Ovent. apud Eccliam Sci Michael, de Riolo i heremitorium p ipsum Dnum Epum est inclusa. „Que ibidem vita sua sce. honeste. et caste dux i cilicio. paupertate. jejuniis. vigiliis. abstinentia. confessionibus. ymnis. et oroibus multis. annis xiiii. et mesibus xi. & dieb, duob, „Cujus ana p Dei miam cum scis Anglis requiescat i gloria paradisi. „cujus pat. Gotfredus

ver? mat?

Cuniza, idem nomen est, atque Cunegunda. Ad Provinciam Forjuli pertinet Sacilum civitas. Ibi Monasterium existisse tum Fratrum, tum etiam Sororum, Ordinis Humiliatorum, hujus avi documenta docent quae in lucem

lucem emissus in Monumentis Ecclesie Aquilejensis. Notissimum Tyrannum Ezzelinum, aliosque ipsi confederatos, turbas movisse, ac intulisse

clades in aliquibus Forojuliensis Provinciae Castris, & locis, alia præstosunt documenta, quæ patefaciunt.

CAPUT XVII.

Raptus frequentes, itemque Ecstases.

Quoties autem fuerit raptus beatus spiritus ejus extra corpus suum sanctissimum, quis posset hoc scire? quia nemini unquam voluit dicere. Et si perpendit, quod interdum aliqua, vel aliquis advertisset, verecundabatur non modicum facie ejus rubore perfusa.

Multis annis ante felicem transitum ejus ex hac vita, frequenter spiritus ejus rapiebatur in Missa. Et fuit aliqua Missa in qua a principio usque ad finem non fuit spiritus ejus in ea; nec audivit aliquid de illa Missa, nisi *Ite Missa est*, in fine Missæ, quam dixit Diaconus. Frequentius rapiebatur in *Salve Regina*, & in contemplatione, & in oratione nocturna.

In tempore illo, quando conversabatur quasi continue Benevenuta cum Sororibus nostris in Monasterio suo (quod tempus incepit a Festo S. Augustini usque ad diem Resurrectionis Dominicæ) de spiritu Benevenutæ adverterunt Sorores nostræ plurimos raptus; inter quos aliquos adverterunt mirabiliores, & maxime manifestos. Primus fuit uno sero post Completorium per bonam horam, quando Sorores exhibant de Ecclesia, expletis orationibus suis; tunc Benvenuta projecit se in veniam longam ante Altare, capite aliquantulum elevato, & sic morabatur sine sensu, & motu, videntibus pluribus Sororibus, & valde admirantibus: quia cum vocaretur, tangeretur, & moveretur, nihil audiebat, & minime movebatur; & tamdiu sic fuit, quod aliquis morose dicere potuisset quadringentas *Ave Maria*, & etiam plus. Et cum adhuc fortius moveretur, stetit sic per longam horam, antequam spiritus rediret ad corpus.

Alia vice in die præcedenti Festum S. Michaelis post prandium, cum esset *Suppriorissa* cum septem aliis, vel octo Sororibus post refectorium suum sub quadam arbore, & Benevenuta erat cum eis, de spiritibus angelicis loquebatur. Et cum sic loquerentur ad invicem, spiritus Benevenutæ raptus est coram eis, & facies ejus est immutata: nam oculi ejus facti sunt rubei, quasi sanguis, & lacrymæ fluebant ab eis in abundantia multa, & sic stetit per bonam horam. Et cum stuparent

rent Sorores stantes ante ipsam in tanta, & tali mutatione mirabili, post aliquam horam reversus est spiritus ejus, sibi faciei suæ colore pristino restituto. Et cum *Priorissa*, & Soror *Nicholotta*, quæ erat specialis amica sua, quærent ab ea, ubi fuerat, & quid viderat, cum multa verecundia respondit, & rogabat, quod non molestant eam hujusmodi verbis: Ipsæ vero instantissime supplicantes, importunitate sua coegerunt eam sibi manifestare ubi fuerat, & quid vidisset; promissione sibi primo ab eis facta, quod quamdiu viveret, nemini revelarent. Tunc dixit: *quod fuerat ad Purgatorium, & vidit animam Cognati sui, viri Sororis suæ, quæ de pœnis Purgatorii erat educta, qui dilexerat eam multum in vita sua, & multum sibi servierat, & habuerat in ea devotionem non modicam. Et dictum fuit Benevenutæ, quod meritis suis fuerat liberata de pœnis; propter quod felix illa anima sic de pœnis educta, venit ante Benevenutam, & sibi magnifice gratias egit.*

Item eodem die in Vesperis erat in Choro in quadam sede ab aliis separata: ibi enim consueverat commorari. Et postquam inceptæ fuerunt Vesperæ usque ad finem, & etiam postquam fuerunt finitæ per longam moram fuit sine sensu, & motu; quia raptus erat spiritus ejus, nec erat in ea. Propter quod finitis Vesperis, veniebant Sorores ante eam cum reverentia, & devotione multa, ejus dispositionem mirabilem contemplantes; de quo verecundabatur multum, cum spiritus redibat ad ipsam.

Item in matutinis sequentibus, cum in loco, ubi dormiebat, moraretur, per totum tempus, in quo illæ matutinæ solemner cantabantur, rapta fuit in spiritu, & sine sensu, & motu. Item idem contigit in Missa sequenti usque ad elevationem Corporis Domini: quia ante elevationem Corporis Domini per aliquam horam spiritus revertebatur ad ipsam: & adorato Domino, manebat in ipsa usque ad consummationem Missæ; & hoc faciebat in omni Missa solemni.

Item in nocte sequenti, quæ est ante Festum B. Hieronymi, erat in domo, in qua jacebat cum quibusdam Sororibus, & cæteris dormientibus, excepta Sorore *Margareta*, Benevenuta orabat, & Soror *Margareta* cum ea. Et cum esset Benevenuta prostrata in venia longa, raptus est spiritus ejus extra eam; & bene advertit Soror *Margareta*. Et cum rediisset spiritus ad eam, quod bene cognovit Soror *Margareta* per quædam ejus suspiria longa, accessit ad eam, & rogavit, & institit multum, quod se deponeret aliquantulum, ita sicut erat vestita. Et cum se deposuisset, cum multa devotione posuit Soror *Margareta* faciem suam super faciem ejus, & osculata est eam. Et tunc sensit tantam dulcedinem, & consolationem ex ea exiisse, & in eam intrasse, quod videbatur ei, quod omnes consolationes mundi huic æquiparari non possent.

sent. Et duravit ista consolatio in Sorore Margareta multis diebus cum multa lacrymarum abundantia ; quæ consolatio plenius in alio loco superius est descripta.

Item in Annunciatione B. Virginis, quæ secuta est eodem anno, in primis Vesperis, & in Missa sequenti rapta fuit. Et tunc manifestavit aliquibus, quod in ipso raptu fuit in Cælo, & vidit quomodo illæ Vesperæ in Cælo fiebant. Item in septimana sancta, quando cantantur Passionēs in Missis, quamdiu cantabantur Passiones, extra se rapiebatur : & in illis Matutinis, quando lamentationes cantantur, quamdiu Matutinæ cantabantur, non erat in ea spiritus ejus in conspectu Sororum omnium.

C A P U T XVIII.

Alii Raptus, aliæque Ecstases, & Visiones : earumque omnium causa.

Item in die Coenæ Domini, cum comederent Sorores, & ipsa erat in mensa cum eis ; & cum modicum quid gustasset, in conspectu totius Conventus super mensam raptus est spiritus extra eam ; nec sine multa devotione, & lacrymis aliquarum. Item in videndo reliquias Sanctorum, tribus vicibus rapta fuit in præsentia multarum. Primo in videndo reliquias B. Dominici, quæ fuerant missæ in duabus pixidibus eburneis : una missa fuerat super Altare Sororum nostrarum Conventus. Item duabus vicibus rapta fuit in videndo unum caput, quod fuit unius Virginis, quæ fuit una undecim millium Virginum, quæ passæ fuerunt juxta Coloniam. Quod caput missum fuit Sororibus Ordinis FF. Prædicatorum de Foro-julii, & servant illud in multa reverentia, & devotione ornatum.

Cum Sorores nostræ reciperent quamdam Noviciam, tunc Benevenuta morabatur in loco Sororum nostrarum : cum autem esset Priorissa in Capitulo cum aliis Sororibus ad recipiendam dictam Noviciam, erat etiam Benevenuta cum eis : & stantibus omnibus Sororibus, & Benevenuta cum eis ; cum Novicia exueretur habitu sæculari, & religioso indueretur, & a Cantorissa Hymnus, *Veni Creator Spiritus* inciperetur, raptus est Spiritus Benevenutæ, & adverterunt omnes. Cum autem Conventus iret ad Ecclesiam cantando hymnum, Benevenuta remansit in Capitulo stando, quia non poterat se movere. Et cum ea remansit Domina Leucardis, quæ non habebat habitum religionis, donec Benevenutæ spiritus est reversus, & hoc factum est per longæ mo-

ræ spatium, & postea venit ad Ecclesiam, & aliæ Sorores insequuntur. Istos raptus superius nominatos viderunt manifesto Sorores communiter. Fuerunt etiam alii raptus singulares, non ita manifesti, qui non potuerunt per singulos memoriæ reservari: qui omnes contigerunt in Benevenuta infra tempus, quo fuit cum Sororibus nostris superius nominatum.

Quia vero Devotissima Benevenuta noluit habere falsas consolationes hujus miseræ vitæ toto tempore vitæ suæ; idcirco Dominus justus iudex in raptu spiritus ejus in cælum merito sibi dabat prægustare consolationes beatæ vitæ sine fine mansuræ, ubi vidit, & audivit quod non licet loqui. Quia etiam ab infantilibus annis incipiens, noluit se carnis dare deliciis, imo potius versa vice carnis molestias & dolores, & Christi mortificationem postea semper in suo tenello corpore circumferre; ideo Dominus Jesus Christus sibi præstitit spiritus consolationes mirificas; experimento enim didicerat, quod cum infirmabatur in corpore, fortior, & potentior in spiritu reddebatur. Insuper etiam quia nunquam voluit habere conversationem, & familiaritatem diligentium transitoria, & terrena quærentium; ideo Dominus misit ad eam frequentem visitationem & consolationem civium supernorum, Angelorum scilicet, & maxime Gabrielis, Sanctorum, & frequentius B. Dominici, & Beatarum Virginum, & præcipue Catherinæ, Agnetis, & Margaretæ; in quibus omnibus ineffabiles consolationes habebat, quia delicatæ sunt nimis divinæ consolationes, & dantur non admittentibus alienas. Et ne magnitudo harum consolationum extolleret eam, datus est ei permissione divina angelus Sathanæ, malignus scilicet spiritus, qui ei sub diversis speciebus visibiliter apparendo, multis annis ea mdiversimode molestavit cum terroribus, aliquando minis & exprobrationibus, interdum verberibus; aliquando vero sub pulchra specie blandis verbis volens eam decipere, ipsam multiformiter impugnando: sed in omnibus Dei virtute confusus Diabolus, & superatus ab ea cum clamore, & verecundia recebat. Devotissima vero Benevenuta immediate postea visitata per Angelos vel Sanctos, vel Sanctas, & per eos multipliciter consolata manebat in multiplici gaudio, & lætitia: quia sicut abundabant Christi passiones in ea, ita & per Jesum abundabat consolatio sua. Et cum quasi toto tempore vitæ suæ duxisset tam devotissimam vitam, sicut in his paucis verbis immediate superius scriptis breviter est descriptum; cupiebat dissolvi, & esse cum Christo, præcipue postquam in Ecclesia rapta spiritu prægustaverat dulcedines illas. Non ideo cupiebat ex hac vita migrare, ut subterfugeret mundi pressuras, & dæmonum molestias, & carnis dolores, & infirmitates, in quibus nimis, & ultra quam nimis afflicta fuerat; imo ad tantam patientiæ perfectionem pervenerat, quod (33) audiui ab ea, qui hæc scripsi, quando sanata per-

Et.

Est fuit divino miraculo: *Ecce, inquit, perfecte sum sanata, & videtur modo mihi, quod nunquam aliquam infirmitatem habuerim; sed parata sum, si Domino placet, omnes quas habui infirmitates, iterato voluntarie sustinere.* Sed ideo cupiebat dissolvi, ut ad illas, quas prægustaverat, dulcedines perveniret, & ut rediret ad eum, qui fecerat eam ad se, & inquietum erat cor ejus, donec rediret ad eum. Unde personas illas, quas credebatur timere, & amare Dominum, sæpe rogabat, ut rogarent pro ea, quod Dominus tolleretur eam ex hac vita; propter hoc me, qui hæc scripsi, de hoc sæpe rogavit. Similiter faciebat Angelis, & Sanctis aliis, qui sibi frequentissime apparebant, sicut superius est sæpe descriptum, ut rogarent pro ea Dominum, quod de hoc nequam sæculo educeret eam: & dicebant ad eam, ut patienter sustineret, quia nondum venerat hora ejus. Sed quia sancta desideria dilatione crescunt, & si dilatione deficiunt, desideria vera non sunt; istud suum desiderium, scilicet *dissolvi, & esse cum Christo*, crescebat quotidie; & adhuc multum faciebat, quia duas magnas consolationes habebat in hac vita, propter quas patientius sustinebat præsentis peregrinationis exilium, quas modo perdebat: una tollebatur ex toto; altera vero tollebatur ex parte.

Una major consolatio, quam habebat in hac vita, erat *Fr. Conradus* Confessor suus. Nec mirum, quia Benevenuta fuit divinitus revelatum per *B. Dominicum*, sicut jam superius est descriptum, quod divina providentia factum fuit, quod *Fr. Conradus* intraret Ordinem Fratrum Prædicatorum, & deberet Benevenuta specialem gerere curam: & ipsa debebat de consilio suo regi, & sibi in omnibus obedire. Fuit etiam sibi promissum a Domino Benevenuta, quod in fine vitæ suæ apud eam esset, & ipsam traderet sepultura; propter quod, quando fuerat occupatus in *Conventu Tridentino*, & in *Conventu Trivisino* in officio Prioratus, nunquam poterat quiescere desiderium ejus, nisi postquam esset absolutus a Prioratu, & *Civitatenſi Conventui* assignatus. Nec mirum, quia ipsa revelaverat ei omnia mirabilia Dei quæ Deus in ea fuerat operatus, tamen sub sigillo secreti, quod nulli revelare deberet, quamdiu ipsa viveret in hac vita: & in his ipsa debebat de consilio suo regi, & dirigi. Sed modo de novo acceperat litteras Prioris Provincialis *Fr. Conradus*, quod electus erat in Priorem *Conventus Veronensis*, & quod iret ad dictum Conventum ad exequendum officium Prioratus. Quod audiens Benevenuta cœpit inconsolabiliter tribulari.

Secunda consolatio, quam habebat Benevenuta in hoc mundo, erat, esse in Ecclesia Beati Dominici; unde si fieri potuisset, nunquam de ea nec in die, nec in nocte recedere voluisset. Illa consolatio duabus de causis ab ea tollebatur ex parte: una erat debilitas naturæ propter vigilias, & abſtinentias suas, & etiam propter aliquas infirmitates, propter

pter quas non poterat ad Ecclesiam venire sine multo gravamine. Alia causa propter quam non poterat ad Ecclesiam venire, erat defectus societatis: quia *Maria Soror sua*, quæ consueverat eam sociare, modo sic sociare non poterat, sicut prius, quia modo incumbibat illi regimen domus interius, & exterius, & habere curam familiæ.

ANNOTATIONES.

(33.) *Audiui ab ea, qui hac scripsi.* fuisse Fr. Conradum Confessarium ejus, cui humilis ac obediens ipsa Benvenuta omnia, quæ sibi divinitus conferebantur charismata, aperiebat. Hic erat vero Fr. Conradus de Castellerio. Vide num. 7.

Infra: Me, qui hac scripsi, de hoc sape rogavit. Infra: Ipsa (Benvenuta) revelaverat ei (Fr. Conrado) omnia mirabilia Dei, quæ Deus in ea fuerat operatus. Manifeste colligi videtur, illum qui *Vitam Benvenutæ scripsit*,

C A P U T XIX.

Mori cupit, & exauditur. Signa prævia ad mortem. Cælestes apparitiones. Obitus.

HÆc igitur attendens Devotissima Benevenuta, quod nulla sibi manebat consolatio in hac vita, cum usque (34) ad XXXVIII. annum suæ ætatis pervenisset, octavo die ante Festum Simonis, & Judæ, cum duabus devotis viduis cum intrasset Ecclesiam B. Dominici (una quarum erat *Soror sua carnalis*, uxor quondam Cognati sui, cujus animam meritis suis eduxerat de poenis Purgatorii, sicut superius est descriptum; alia vidua erat, soror devotæ viduæ *Jacobinæ* secretariæ, & sociæ Benevenutæ;) prospiciens in Crucifixum, cum multo affectu, & desiderio, audientibus illis duabus viduis, sic oravit: *Domine Deus Jesu Christe, per illum Sanguinem preciosum, quem fudisti pro nobis peccatoribus super sanctissimam Crucem tuam, rogo te, quod de hac vita tollas me, si expedit animæ meæ.* Audientes autem illæ duæ viduæ orationem cum tanto affectu, & desiderio factam; timentes, ne exaudita foret, dixit ad eam Soror sua: *Noli sic dicere Benevenuta, quia non possem nisi cum desolatione multa vivere sine te in hac vita.* Ipsa vero jocunda facie respondit ei: *Non credis, quod possem te melius juvare, si essem cum Domino Jesu Christo in vita gloriæ, quam si essem tecum in hac valle miseriæ?* Altera etiam vidua cum multa angustia dixit ei: *Domina Benevenuta, nolite nos derelin-*

relinquere, quia vos estis magna spes nostrorum omnium, qui diligimus vos, & devotionem habemus in vobis, & magna consolatio nostra. Exaudita est autem nihilominus oratio sua: nam illa die invasit eam quidam dolor pectoris, qui non dereliquit eam usque ad mortem.

In illa nocte, & præcedenti transacta tertia, & quarta parte noctis, duæ mulieres, quæ erant sorores ad invicem de Contrata illa, quæ vigilaverant usque ad illam horam, viderunt globum unum luminis supra domum prædictæ virginis descendentem. In mane sequenti venit ad Ecclesiam, dolore non cessante, sed potius aggravante; & cum postea rediret domum sororis auxilio sustentata, in ipso itinere tantum invaluit infirmitas, quod os ipsam oportuit aperire; & in ipsa via multam ejecit sanguinis quantitatem. Tertia, & quarta die, licet dolor non cessaret, sed potius augeretur; licet etiam ex præcedenti sanguinis effusione debiliior esset, & adhuc spuerere sanguinem non cessaret, nihilominus voluit Ecclesiam visitare. Quarta vero, & duabus sequentibus oportuit eam decumbere, inualecente dolore: & infra hoc tempus omnibus Ecclesiasticis Sacramentis devote susceptis, & insuper negociis suis ordinate dispositis, elegit sepeliri in sepulcro, in quo jacebant (35) corpora Patris, & Matris, quod est immediate positum ante fores Ecclesiæ Beati Dominici. A multitudine insuper devotarum, & honestarum personarum religiosarum, & sæcularium, quæ magnam habebant in ea devotionem, fuit in isto triduo visitata.

In illa autem nocte, quæ istud triduum est secuta, cogitantibus quasi omnibus, quod ipsa deberet ex hac vita migrare, sicut & factum est; multæ devotæ, & honestæ personæ sæculares, & religiosæ, propter devotionem sanctitatis suæ, super eam voluerunt vigilare, ut essent juxta eam quando felix anima sua separaretur a corpore. Et cum jam appropinquasset medietas noctis, ipsa quæsiuit, qualis hora esset modo: & responsum est ei, quod noctis medietas jam transisset. Tunc ipsa dixit: *Mittite pro Fratribus, quia ipsi possent nimium stare; nostræ autem matutinæ interim sunt pulsatæ.* Et *Fr. Jacobus*, qui erat frater suus carnalis, expedit se, & primo venit ad eam; post hunc vero *Fr. Conradus, Prior Veronensis, Confessor suus*: & invenerunt eam deficientem, sed adhuc aliquid intelligentem, & etiam cognoscentem. Tunc Prior Veronensis cœpit confortare, & dicere: *Filia nihil timeas, sed sta firmiter, & sis securo; & dicas Credo in Deum, sicut potes.* Prior vero Veronensis, & Fratres, qui erant ibi, cœperunt orare pro ipsa, & more solito recommendationis animæ sunt officium prosequuti. Soror autem Benevenutæ vidua tenebat eam intra brachia sua, super petus ejus caput reclinatum habentem. Et tunc emisit magnum gemitum cum rugitu, & obscuro aspectu; & post modicum restituta est ei facies hilaris, & jocunda quasi ridens, a dextris & a sinistris oculis aspiciendo,

do, ac si sana fuisset: & (36) sic latanter, & feliciter expiravit tertio Kalendas Novembris 1292. Et hic talis rugitus, & dispositio faciei, quam habuit in morte, videtur respondere cuidam revelationi, quam ad multam instantiam suam habuerat a Beata Virgine.

Audiens Benevenuta sæpe, qualiter serpens antiquus insidiatur Fidelibus in hora mortis, animas scilicet Fidelium impediendo desperatione, & diversis terroribus, quando egrediuntur a corpore: voluit de te scire quale sibi impedimentum præstare debebat. Propter hoc multis diebus ante, instanti oratione postulavit a B. Virgine, quod sibi hoc notum facere dignaretur. Quare Beata Virgo semel apparuit ei manifestans, quod tunc malignus spiritus apparebit sibi valde horribilis. Et inquit: *Tu tamen esto securo, quia sine moræ dilatione veniam in adiutorium tui: & hoc, quod tibi dico modo, hac nocte probabis.*

Et post recessum Beatæ Virginis, apparuit ei malignus spiritus nimis horribilis; faciens ei timores horribiles, & dicens: *quod in damnatione erat, sibi data pro eo quod indiscretam duxerat vitam, & ante tempus interfecerat semetipsam.* Et cum Benevenuta cum angustia multa in adiutorium suum B. Virginem provocasset; & quod eam, sicut promiserat, adjuvaret, respondit ei malignus spiritus: *Incessum invocas, quia non fuit B. Virgo, quæ apparuit tibi, sed ego sub specie sua, quia sic te decipere volui.* Benevenuta vero B. Virginem invocare non cessans; Diabolus versa vice prædictis verbis, & similibus post longam moram, ipsam impugnans, demum confusus abcessit, B. Virgine cum sua lucente familia subsequente, & devotissimam Benevenutam magnifice consolante. Hanc revelationem diu ante revelaverat Benevenuta *Beatrici Moniali*, forori suæ carnali, quæ super eam præsens erat, quando felix anima sua egrediebatur a corpore. Rugitus enim, quem prius habuit, fuit propter aspectum Dæmonis; facies autem hilaris subsecuta, propter adventum B. Virginis, & suæ jocundæ societatis. Unde tunc subjunxit: *Expectate me modicum:* & expiravit.

Insuper diu ante, in die scilicet Annunciationis B. Virginis, quando fuit curata Benevenuta ab omni infirmitate mentis, & corporis, apparuit sibi B. Virgo cum pluribus Sanctis, & promisit ei dicens: *Cum omnibus istis Sanctis devotis tuis veniam tibi in adiutorium in hora mortis.* In eadem hora transitus sui intrans quadam mulier multum antiqua fores curiæ domus Benevenutæ vidit quadam flammam ad modum facis ardentis elevari de domo Benevenutæ, & declinare versus Ecclesiam B. Dominici.

ANNOTATIONES.

(34) *Benvenuta . . . cum usque ad XXXVIII. annum sua ætatis pervenisset. Hæc verba annum ipsum ætatis tricesimum octavum significare inceptum mihi videntur, non completum. Vidit ipsa primam lucem die quarta Mensis Maii, quæ Sancto Florentino, & Coronæ Dominica Sacra erat, ut num. 2. dictum est. Eam vero migrasse mortali vita die 30. Octobris anni 1292. mox dicendum. Unde anno ære vulgaris 1255. nata fuerit: abs cuius die 4. Maji usque ad anni 1292. diem 30. Octobris numerantur ætatis anni septem supra triginta, & menses quinque, ac dies viginti sex. Natalem ejus annum minus fortasse diligenter expresse-
runt alii annum ære vulgaris 1254.*

(35) *Elegit sepeliri in Sepulcro, in quo jacebant corpora Patris, & Matris, quod est immediate positum ante fores Ecclesiæ Beati Dominici. Sepulcrum apertissime indicatur, quod sibi, suisque Conradus, dictus Bojanus, fieri jussit; cum Familiæ gentisque nobilissimæ Sepulcrum antiquius fuisse videatur apud Sanctum Stephanum in loco, qui dicebatur Persica, vel*

etiam alibi pro voluntate eligentium. Vide num. 21. Quomodo vero prædictum Sepulcrum immediate positum ante fores Ecclesiæ intelligi debeat, adnotabimus num. 39.

(36) *Latenter, & feliciter expiravit tertio Kalendas Novembris, (idest die 30. Octobris,) 1292. Hic ære vulgaris annus Arabicis notis in Codice supra lineam scriptus est. Dubitare de eo non licet, quem etiam exprimit vetustum Necrologium primum, in quo hæc habentur: B. III. Kal. Novembris, (die 30. Octobris) M.CC. LXXXII. obiit Benvenuta, filia q. Domini Bojani, quæ reliquit Conventui vivendo multa bona sua mobilia. Vixit in spiritu devote. Alterum recentius Necrologium consonat, M.CC. LXXXII. obitus Benvenuta, filia q. Domini Bojani. Vixit devote in tertio Ordine nostro. Quæ postrema verba videntur eadem manu, ac priora scripta, licet atramento minus nigro. Apud Mutium Sforzam expirasse Benvenuta dicitur in loco, qui vocabatur Catapano. Hæc in nostro Codice vox desideratur. Locum intellexerim, ubi variae domus supellestiles adservabantur.*

CAPUT XX.

Funus, & depositio in sepulcro Familiæ ante fores Ecclesiæ Sancti Dominici. Fr. Conradi Confessarii concio. Paulus, Benvenutæ frater.

Tunc elevatus est mœror, & planctus omnium parentum, & amicorum religiosorum, & religiosarum, & multarum aliarum personarum, quæ propter devotionem convenerant ad felicem transitum ejus. Inter quos venit quidam nepos suus, filius Sororis suæ viduæ, in cuius brachiis emiserat spiritum, & filius fuit Cognati sui, cujus animam meritis suis de Purgatorii pœnis eduxerat, sicut superius est descriptum; & irruit super corpus ejus cum clamore magno, & lacrymarum fletu largi-

gissimo; ita quod ex naribus ejus est ruptus sanguinis fluxus magnus, & curatus est de quadam infirmitate sua capitis, quæ *emigranea* dicitur, quam passus fuerat pluribus annis, nec ipsum de cætero amplius molestavit. Fratres autem nostri (37) volebant ipsam eadem die tradere sepulturæ; sed instantia, & importunitate *fratris sui Pauli*, & *sororis suæ Mariæ*, propter multum amorem, quem habebant ad ipsam, volebant satiari de ea cum præsentia corporis sui, & ea, quæ necessaria erant ad sepulturam decentius præparare. Illa die insepulta remansit.

Tunc plures viri de melioribus Civitatis, & plures Dominæ nobiles, & honestæ, cum multis de communi populo Terræ, venerunt ipsa die visitare corpus sanctissimum Beneventæ causa devotionis; osculantes illud cum multis lacrymis, & tangentes illud cum annulis, & cum *Paternostris*, & rebus aliis, quas homines secum deferunt, ut ex tali tactu effectum virtutis acciperent, & sanctitatis. *Fratres nostri* cantaverunt super eam officium Mortuorum. Advertentes autem hoc *Moniales de Monasterio Majori*, quod cum tanta devotione visitabatur ab omnibus, petiverunt ab Abbatisa plures earum, antequam sepulturæ traderetur tam sanctissimum corpus, licentiam visitandi. Et quia multæ erant, quæ volebant, dixit Abbatisa: *Eamus ergo omnes: veniam & ego vobiscum*. Et sic venit Domina Abbatisa cum toto suo Collegio ad domum ejus. Postquam vero reverenter tetigerunt, & osculatæ sunt corpus ejus, officium Mortuorum super eam solemniter cantaverunt cum *Salve Regina*. Audiens autem *Prior Prædicatorum*, quod Abbatisa de Monasterio erat juxta corpus Beneventæ cum toto Collegio suo, & quod ibi erat magna populi multitudo; venit processionaliter cum toto suo Conventu ad deferendum corpus Beneventæ ad Ecclesiam B. Dominici. Et cum Prior cum Conventu suo pervenisset ad corpus, omnibus, quæ necessaria erant, præparatis, ad Ecclesiam B. Dominici processionaliter sunt reversi: & post eos Domina Abbatisa cum processione sua, sequente feretro cum populi frequentia multa. Et sancto corpore in Ecclesia posito, & officio Mortuorum incepto, & cum Vesperis finito, ceteri qui non debebant pernoctare cum corpore ad propria redierunt.

Mane sequenti reversa est ad Missam populi multitudo non modica. *Frater* autem *Conradus Prior Veronensis*, dixit Missam, & prædicavit. Et quia non erat tempus protrahendi sermonem, in generali dixit breviter quædam sua merita sanctitatis, & in speciali duo miracula recitavit. Scilicet, quomodo B. Virgo in nocte Annunciationis Dominicæ apparuit sibi cum B. Dominico prædicens sibi, quod in ipsa die debebat curari ab omnibus infirmitatibus mentis, & corporis, meritis B. Dominici: quod & factum est eadem die stupendo miraculo, postquam scilicet a Benevenuta accepto corpore Christi, apparuit B. Dominicus, & accipiens eam per manum, deduxit eam per medium chorum usque
ad

ad gradus majoris Altaris suo nomini dedicati. Ubi postquam aliquantulum jacuit prostrata, ab omni infirmitate corporis, & animæ sanata surrexit.

Aliud vero miraculum recitavit, quando scilicet biennio cinctæ funiculo, funiculus adeo intraverat carnem ejus, quod non potuerat eum tollere sine carnis incisione: & hoc volebat alicui revelare. Super quo Dei petens auxilium, confugit ad tutum orationis refugium, & spiritu suo ad eam reverso, qui in ipsa oratione extra se raptus fuerat, invenit ipsum funiculum ita integrum ante conspectum suum positum, sicut prius ipsa cinctæ manebat. Et ista duo miracula in superioribus magis distincte sunt posita. Multi autem viri, & mulieres de Civitate scientes Fr. Conradum multo tempore fuisse Beneventæ secretarium, & Confessorem, & sanctitatis ejus multa secreta novisse; quæ ipsa vivente revelare non poterat ratione secreti, quod promiserat; nunc vero, quod defuncta erat, & a promissione secreti fuerat liberatus, cupiebant ab ipso audire aliqua Dei opera mirabilia, quæ circa ipsam facta fuissent, antequam recederet de Conventu, & ad suum accederet Prioratum. Et propter hoc fuit prædicatio ordinata in sequenti Dominica, ad quam prædicationem convenit pars maxima Civitatis; ita quod Ecclesia nostra erat hominibus valde plena. In qua prædicatione postquam prædicavit quasdam magnas gratias, & virtutes, quas Dominus Jesus Christus Beneventæ contulerat; tria specialia de ea valde mirabilia prædicavit, quæ sunt valde magnifica, & insolita degentibus in hac vita.

Primum fuit illud magnum prodigium, quomodo non terreno cibo, sed cælesti alimento per Gabrielem Archangelum, quasi per quinquennium sustentata fuit; quia infra hoc tempus cibum vix in septimana sumebat; & hoc faciebat ad instantiam sibi astantium, quia bene sciebat quod eo non indigebat. Et cibus ille erat tam parvissimæ quantitatis, quod parvæ aviculæ vix sufficeret una die, quem post modicam horam totaliter evomebat. Angelus autem Gabriel circa horam nonani descendebat de Cælo quotidie, vasculum lucidum portans secum: & tribus vicibus in die digitis suis accipiebat quid modicum ex eo, & ponebat in os Beneventæ; & de isto cibo vivebat. Nec fuit unquam aliqua persona, quæ vidisset eam aliquem cibum in toto prædicto tempore tenuisse, excepto Corpore Christi, quod semper tenebat: simplicem etiam aquam quando bibebat, bene tenebat.

Secundum, quod prædicavit, fuit: quod malignus spiritus pluries apparuit sibi molestans eam in aliqua specie corporali: & bis sicut docta fuit, projecit eum sub pedibus suis, ponens pedem super collum ejus, & sedens super eum, & dicens: *Sternere vilissime Dæmon sub pedibus femine debilis*: & Dæmon respondebat: *Heu me! non audebo*
appa-

apparere an te conspectum ejus, qui misit me: dimitte me abire, & promitto tibi, quod nunquam te de cetero molesto.

Tertium, quod prædicavit, fuit: quod anima fratris carnalis, Prioris Veronensis, qui nuper defunctus fuerat, ad instantiam ejus, de poenis Purgatorii suis meritis, & precibus liberavit. Unde defunctus postea apparens ei, hu militer gratias egit. Et hæc tria, quæ prædicavit, in superioribus melius sunt descripta. Et sic completum est, quod Benevenutæ divinitus est promissum: & Fr. Conradus erat ex revelatione Benevenutæ securus, quod in quacunque parte fuisset, juxta eam in hora mortis esset, & ipsam traderet sepulturæ.

ANNOTATIONES.

(37) *Fratres autem nostri volebant ipsam eadem die tradere sepultura: sed instantia, & importunitate fratris sui Pauli, & sororis sue Marie . . . illa die insepulta remansit. Tertius innotescit frater Benvenutæ, Paulus. Hunc membranæ vetustæ plures exhibent his verbis: 1302. . . presentibus . . . Paulo quondam Domini Conradi Boyani de Civitate: vel 1303. . . Paulo quondam Domini Boyani de Burgo Sancti Petri Civit. In ejusdem Civitatis Tabulario Mss. urbis Annales in magno Volumine adservantur, a Marco Antonio Nicoletto Viro doctissimo diligentissime digesti, quorum ego epitomen possideo. In hisce vero ad annum 1298. & annum 1302. legimus Paulum Boyani inter Consules, aut Provisores Civitatis. In Chronico Juliani ad Annum MCCC.VIII. mota in urbe mense Maio discordia refertur, in qua Paulus Boyani memoratur, qui erat in inimiciis illorum de Terra. Sese nimirum adjunxerat Waltero peritoldo, & Bernardo, Fratribus de Castro Zuccula, (ex nobili Dominorum de Spilimbergo genere,) qui Civitatis insensibiles erant. Fuere Fratres Prædicatores qui composuerunt inter partes.*

Familiam nobilissimam propagavit

Paulus. Uxores ejus duas offerant Necrologia nostra Forojulienisa. In Secundo ad litteram C. (diem 3. Januarii) hæc habentur: M.CC.LXXXV. obiit Domina Agnes, uxor Domini Pauli Domini Boyani. In eodem, ac vetustiore Necrologio primo. E.II. (pridie) Nonas Augusti, (die 4. ejusdem mensis,) anno Domini M.CCC.XXXVI. obiit Domina Avinent, uxor quondam Domini Pauli Boyani. Initi matrimonii annum discimus ex Membrana, quam servat Tabularium Familiz. „ In nomine Domini . . . M.CC. „ LXXXVII. . . . die VIII. exc. „ unte Jun. in Civitate Austria in clau- „ stro Majoris Ecclesiæ Civit. . . . „ presentibus &c. Domina Avinent, „ filia Francisci dicti Cussulini de „ Civitate . . . laudavit Dominum „ Paulum quondam Domini Boyani „ de Civitate in suum maritum . . . „ Et ego Antonius Civitaten. . . . „ Notarius. „ Pauli obitum adnotat utrumque Necrologium: D. idibus Martii (die 13.) anno Domini M.CCC. XXXV. obiit Dominus Paulus Boyani, pro quo recepimus bonum beneficium annuatim.

Masculam prolem, quam novi, reliquit, Franciscum, Conradum, & Volvicum Canonicum Aquilejensem. In Decumen-

cumento anni 1335. quod præstant Mss. Annales Civitatis, legitur *Franciscus quondam Domini Pauli*: & anno insequente 1336. inter Provisores recensetur *Franciscus Pauli Bojani*. Annum, diemque emortualem exhibent Necrologia: E. IX. Kal. Septemb. (die 24. Augusti,) anno Domini M. CCC. XL. obiit Dominus *Franciscus, filius q. Domini Pauli Bojani*. Membrana exstat in Archivo Canonicorum Foro-Julienensium, ubi *Conradi* mentio: M. CCC. XX. indictione III. die XIII. exeuntis Decembris, in Civitate *Austria* . . . presentibus . . . *Conrado filio infra scripti Domini Pauli* . . . *Paulus quondam Domini Conradi Bojani de Civitate*. Denique in Tabulario Familiae Notitia sequens adservatur: „ Noverint universi . . . „ quod nos *Cancianus* . . . Emonen. „ Episcopus, dum Sacros Ordines . . . „ generalis existimus Vicarius, in Ecclesia Majori Aquilegensis . . . „ *Dominum Voltricum Domini Pauli*, „ *Aquilegensem* Canonicum, & *Plebani* Sancti Martini prope Craymburgum, ad Diaconatus Ordinem promovimus. Datum Aquilegiæ, XXVI. Februarii, sub anno Domini M. CCC. XXV. . . (1328.) indictione XI. „ Diligentior genealogica ad institutum non attinet perquisitio. Deceptum puto *Mutium Sforzam*, qui *Voltricum Canonicum Aquilegensem*, & *Civitatem*sem, veluti *Fratrem Bevenute* obtrudit in prævio discursu de *Bojanorum familia*.

Canciani Emonensis Episcopi mentio ansam præbet, ut *Ughellianas Civitatis novæ in Istria Tabulas* illustremus. Afferre primum Antistitem seriem in *Venetâ Italiæ Sacra* editione emendatam. *Cancianus* vivebat anno saltem 1318. inscribiturque *Ecclesiæ Aquilegensis Vicarius generalis* in *Bulla indulgentiarum* eo anno data. Sequuntur *Augustinus, Frater Petrus Ord.*

Præd. Frater Petrus ex Ordine Heremitarum Sancti Augustini, & Frigidianus, seu Frigidianus: quos aliam Civitatis *Novæ sedem in Æstuariis Venetis* tenuisse, verissime adnotatur. Tum recensetur *Natalis*. Ejus mentio inipoi dicebatur in Monumentis ejusdem Ecclesiæ sub anno Domini 1313. At verissima subjicitur animadversio, primam ejus mentionem in hujus Ecclesiæ Monumentis non occurrere ante annum 1318. in prædicto indulgentiarum diplomate, ubi post *Cancianum* subscriptio legitur *Natalis*. Hanc vero subscriptionem intellige, non anno 1318. exaratam, sed suo tempore postea adjectam. Nomen etiam *Natalis*, quod in *Bullæ corpore* legitur, pro certo tene ab inscitissimo *Amanuensi*, ac interpolatore insertum. Seriem augent *Frater Marcus, & Dominicus*: falso tamen cum ad Civitatem *Novam* in eisdem *Venetis Æstuariis* pertineant. Sequitur demum *Joannes*, qui reperiri hujus Ecclesiæ Antistes dicitur anno 1348. Hactenus *Ughellus* in *Venetâ* editione emendatus. *Canciani* locum in serie confirmat Documentum, quod superius descripsimus, anno 1328. datum. Emortualem ejus annum offerunt Necrologia Fratrum Prædicatorum in Civitate *Forijulii* ad Diem III. Aprilis obitus Domini *Canciani Episcopi Emonensis* M. CCC. XXXI. Tabulas possideo, quæ *Natalis* successoris, qui & *Vitalis* dictus legitur, annos numerant 1335. 1338. & 1339. In citatis vetustis Necrologiis obitus enunciantur *Patris, & Matris ejusdem*. Ad diem 29. Maji B. M. CCC. XXV. Obitus Domini *Friderici, patris Domini Natalis Episcopi Emonensis*: & ad præcedentem diem 28. A. Obitus Domina *Guilicholina, Matris Domini Episcopi Emonensis* M. CCC. XXXVII. Mentio denique successoris *Joannis* in Documento occurrit, quod ad annum 1354. spectat.

Exi-

Eximia Bojanorum familiae ornamenta plura sunt. Aliqua paucis indicare satis fuerit. Temporalis Patriarcharum dominatione vigente, eo ipsi ornati fuerant privilegio, ut novo electo Patriarchæ, cum primo in Civitatem Austriam ingrederetur, unum enssem cum vagina alba, & Crucem Argenteam offerrent. Rei pandunt originem Tabulæ Bertrandi Patriarchæ, confectæ in Civitate Austria, die XX. Mensis Decembris, anno Dominica Nativitatis M.CCC.XXXIX. Indictione VII. Bona plura Conrado Bojano traduntur: ac inter alia ipsi & descendentibus masculis conceditur Villa de Palmasanulla juxta Antrum; eo adjuncto privilegio: „ quod in „ signum honoris & domini, cuilibet „ successorum nostrorum canonice intrantium, cum primo in Patriarchali Civitate Austria intraverit, „ in introitu Civitatis eidem unum „ enssem magnum Alemannum cum „ vagina alba, usque ad scalas Palatii Patriarchalis teneamini anteferre: & post hæc dictum enssem præfato successori intranti canonice „ elargiri. “ Hac de re non est hujus loci plura dare; nec diligentius perquirere additæ etiam Crucis argen-

teæ oblationem. Bertrando successit Nicolaus Patriarcha. Post obitum ejus, vacante Aquilejensi Ecclesia, Fridericum Bojanum elegerunt ejusdem Metropolitanæ & Patriarchalis Ecclesiæ Canonici ad munus, & officium Vicedominatus, anno 1358. Indictione XI. die VII. Mensis Augusti. Friderici obitum adnotat vetustum Forojuliense Necrologium, quod servant Fratres Prædicatores: B. III. Kal. Martii (die 27. Februarii,) M.CCC.LIX. obiit penultima die Februarii Dominus Federicus, filius quondam Domini Conradi Bojani, qui Dominus Federicus erat. Vicedominus in Forojulio. Hunc intellige Conradum, filium D. Pauli Domini Bojani. Sub Ludovico Turriano Patriarcha, Istria Marchionatum ipsius nomine in Castro Petræ Pilosæ rexit Guillelmus Bojanus: idemque munus antea sub Bertrando gesserat laudatus Conradus, filius Pauli quondam Bojani. Haud prætermitto demum dignitatem Mareschalli cum amplissimis facultatibus quam Conrado Bojano anno 1396. contulit Antonius Patriarcha, ex nobilissima Caietanorum stirpe prognatus. Hæc vero satis.

C A P U T XXI

Faces, & luminaria divinitus accensa super, & circum tumulum ejus.

ET sicut Devotissima Virgo Benevenuta ab infantilibus annis usque ad mortem in tota vita sua sanctissima fuit tota plena prodigiis, sic etiam post mortem Dominus Jesus Christus veritatem sanctitatis ejus cælestium luminum, & diversarum curationum infirmitatum voluit confirmare miraculis.

Fuit enim sepulta (38) in Vigilia omnium Sanctorum. Et (39) in nocte sequenti, licet fortiter plueret, tres Sorores Ordinis nostri, quæ moran-

morantur in *Monasterio Sororum de Civitate*, videlicet Soror *Nicholotta*, quæ modo est Priorissa, Soror *Margareta*, & Soror *Magdalena*, viderunt splendere luminaria magna pro maxima parte noctis in facie Ecclesiæ super sepulcrum Benevenutæ, quod est ante fores Ecclesiæ situm. Dormitorium enim illud Sororum nostrarum est ita dispositum, quod Sorores, quæ morantur in Cellis, quæ sunt ex una parte, scilicet ex parte Claustri, faciem Ecclesiæ nostræ, & etiam totam Ecclesiam nostram possunt bene videre. Et illa luminaria, quæ apparent, a luminaribus, & flamma materialis ignis discordare videntur, quia nihil fumi, nihil penitus rubedinis apparet in eis; sed in modum coloris argentei albescens, splendore corruscat. Insuper in luminaribus illis magnis quædam luminaria minora videntur, quæ sicut manipuli accensi ab illis magnis luminaribus discernuntur, & majoris lucis splendore, & motu vario, quo moventur in eis.

Item in quodam die Sabbathi post Matutinas (quem diem admonitione B. Virginis Benevenuta speciali reverentia, & devotione colebat) Soror Matildis de dicto Monasterio Sororum nostrarum dixit, quod vidit quasi duos manipulos accensos ante faciem Ecclesiæ splendorem non modicum circumquaque reddentes, & juxta parietes Ecclesiæ huc, & illuc se paullatim moventes: & cum per bonæ moræ spatium sic fecissent, postea disparuerunt. Et post modicum quidam splendor luminis supervenit adeo magnus, ut totam operiret Ecclesiam, & adeo splendidus, quod videbatur quod tota arderet Ecclesia: & etiam iste splendor duravit per bonum spatium temporis; & in ista visione fuit prædicta Soror magnifice consolata.

Item prædicta Soror cum alia Sorore ejusdem loci, quæ vocatur Eusebia, vidit quadam alia nocte foris circa Ecclesiam magnum lumen, & videbatur eis quod maximum lumen esset intra Ecclesiam, quia testum Ecclesiæ ad modum vitri videbatur lucere, ita quod totum testum splendidum videbatur. Item in Sabbatho Sancto Paschæ vidit dicta Soror Matildis magnum splendorem ante faciem Ecclesiæ super sepulcrum ejus. Item Soror Matildis, & Soror Magdalena in Festo Trinitatis magnum splendorem pariter viderunt ibidem. Item istæ duæ Sorores viderunt simile lumen in Festo Exaltationis S. Crucis super sepulcrum ejus. Item istæ duæ Sorores in Octava Nativitatis B. Virginis viderunt simile lumen. Item quadam alia nocte vidit Soror Eusebia ibidem magnum splendorem, & in illo splendore erat quidam alius splendor in modum ardentis manipuli: & talis splendor apparuit ei quinque vicibus una nocte.

Item dicta Soror Eusebia in nocte S. Thomæ Martyris vidit super totum locum Fratrum tam grande lumen, quod videbatur, quod totus locus arderet; & de illo lumine videbatur quod exirent duo lumina,

L

quasi

quasi duo manipuli accensi. Item quadam alia nocte Soror Weremburg, quæ antea fuerat Priorissa, & Soror Margareta, & Soror Nicholotta, quæ modo est Suppriorissa, & Soror Matildis, & plures aliæ Sorores viderunt omnes pariter grande lumen super ejus sepulcrum. Item quadam alia nocte plures Sorores simul viderunt juxta Ecclesiam magnum lumen: & in eadem nocte duæ Sorores, scilicet Soror Wilbergis, & Soror Leoncina viderunt ibidem tribus vicibus magnum lumen. Item in Festo B. Dominici Soror Wilburgis vidit ibidem duabus vicibus magnum lumen. Item dicta Soror postea duobus Sabbathis vidit ibidem lumen splendere, & tunc pluebat valde fortiter. Item Soror Gisla vidit una nocte duabus vicibus magnum splendorem levantem se juxta Ecclesiam. Item dicta Soror Gisla in Cœna Domini postquam bona pars noctis lapsa fuerat, vidit magnum splendorem in facie Ecclesiæ ad tria loca se moventem, & in eis aliquam residentiam facientem. Istud etiam lumen (40) viderunt duodecim, vel trefdecim personæ sæculares inter viros, & mulieres, quæ erant sub porticibus domorum, quæ sunt ultra pontem nostrum lapideum in facie; de quo dicitur inferius. Item in Festo S. Lucæ vidit Soror Wilburgis idem lumen ibidem. Item in Festo undecim millium Virginum vidit Soror Eusebia similiter. Item eadem Soror vidit secunda nocte idem post Festum undecim millium Virginum. Non solum istæ personæ religiosæ, sed etiam personæ sæculares, & specialiter quædam personæ, quæ erant in domibus ante faciem Ecclesiæ nostræ dispositis ultra pontem nostrum lapideum.

Aliquæ mulieres, quæ stant in prædictis domibus septimo die sepulturæ Benevenutæ viderunt circa sepulcrum ejus magnum lumen. Item in tricesima die sepulturæ, quæ fuit in Festo S. Andreæ, & tunc pluebat, prædictæ mulieres viderunt magnum lumen ibi circa sepulcrum; & venerunt tres ex illis usque ad craticulam, quæ est in introitu Cymiterii, & tamdiu steterunt ibi, quod potuissent dici centum *Ave Maria*, & adhuc duravit illud lumen. Et cum tantam moram in pluvia contraxissent, sicut dicunt, non fuerunt madefactæ vestes earum.

Item in Festo S. Antonii Heremitæ plures mulieres, quæ erant sub porticibus prædictarum domorum viderunt majus lumen solito supra sepulcrum, & tres mulieres albis indutas circa sepulcrum. Una erat in medio, & videbatur major aliis: aliæ duæ erant in finibus sepulturæ; una ad caput posita, & alia ad pedes: omnes autem a terra per cubitum elevatæ. Et licet magna pars noctis præteriiisset, portæ tamen Ecclesiæ (41) videbantur apertæ: & illæ duæ quæ erant in finibus sepulturæ intraverunt Ecclesiam, illa, quæ sola erat in medio, remanente. Et cum hæc omnia durassent per bonum temporis intervallum, dispa-
rentes amplius non sunt visæ.

Item

Item in Cœna Domini (42) quæ post hoc tempus secuta est, in nocte sequenti apparuit luminis admirabile signum. Exivit enim de Ecclesia nostra per rotam superiorem quoddam lumen adeo se diffundens, quod aer, qui erat tunc valde tenebrosus, & pluvia plenus, ita resplenduit, quod denarium jacentem in terra homines discernere potuissent: & istud lumen ante Ecclesiam fecit moram non modicam. Postea nostrum viridarium pertransiit versus S. Petram, & quondam Beneventæ domum: & ibi moram contrahendo videbatur, quod una magna domus arderet, & elevabatur ab illo lumine quædam lux alba, sicut argentum. Deinde rediens versus domum Fratrum Prædicatorum circumdando dormitorium, & Cymiterium Fratrum, & circumdando totam Ecclesiam, dictum lumen postea non est visum. Et hoc factum est in præsentia multarum personarum; virorum, & mulierum, quæ erant sub porticibus domorum; quæ sunt in facie Ecclesiæ Fratrum Prædicatorum, aliquibus ibidem prius existentibus, aliquibus de lecto vocatis; vidente etiam Sorore Gisla de Cella; quæ visio etiam superius est descripta. Item plura alia luminaria viderunt aliquæ religiosæ personæ, & etiam sæculares circa Ecclesiam, & sepulcrum ejus, & domum, in qua prius habitaverat: & adhuc etiam quandoque apparent; quæ longum esset per singula scribere.

A N N O T A T I O N E S.

(38) Fuit enim sepulta in Vigilia omnium Sanctorum: die scilicet 31. mensis Octobris.

(39) In nocte sequenti, licet fortiter plueret, tres Sorores Ordinis nostri, quæ morantur in Monasterio Sororum de Civitate . . . viderunt splendere luminaria magna pro maxima parte noctis in facie Ecclesiæ super sepulcrum Beneventæ, quod est ante fores Ecclesiæ situm: Dormitorium enim illud Sororum nostrarum est ita dispositum, quod Sorores quæ morantur in cellis, quæ sunt ex una parte, scilicet ex parte Clausuri, faciem Ecclesiæ nostræ, & etiam totam Ecclesiam nostram possunt bene videre. Certo colligitur, sepulcrum istud, quod sibi suisque effodi fecerat Conradus, dictus Bojanus, positum sub dio fuisse extra Ecclesiam ante fores ejus. Id etiam ver-

ba evincunt; quæ inferius sequuntur:
 „ Insuper multi, & multæ volentes
 „ Ecclesiam intrare, propter reverentiam sanctissimi corporis, quod
 „ ibi jacet sub lapide, non audent ponere pedes super lapidem sepulturæ:
 „ sed divertentes a latere ad caput, vel ad pedes sepulcri, per angulum sepulturæ ponunt pedes super limen Ecclesiæ. “ Nihil est, quod ejus ævi moribus repugnet. In calce Necrologii secundi Sepulturæ recensentur, quæ anno 1492. erant in Ecclesia, & extra Ecclesiam. Verba sunt:
 „ Extra Ecclesiam, manu dextera exeundo, sunt sepulturæ illorum
 „ Dominorum de Strafoldo . . . In angulo sunt sepulturæ Dominorum de Gallis . . . Exeundo de Ecclesia a manu sinistra, est sepultura illorum.

Dominorum del Tore &c. Jamvero de sepulturæ situ dubium nullum.

At quomodo *Sorores a Cella*, quæ Monasterium incolunt extra Civitatem, & extra Suburbium Sancti Dominici erectum, *Ecclesiæ nostræ faciem* videre poterant? Ætate Benvenutæ, ac sequiori tempore erat Suburbium Sancti Dominici sine turribus, ac mœniis, quæ seculo demum decimo sexto, bellorum hostiliumque incursionum occasione, erecta fuerunt. Sed neque interiorem urbem undique cinctam mœniis ante annum 1313. produnt ejusdem Civitatis Annales Mss. Raræ quoque in Suburbio, præter aliquas porticus in Vita memoratas, erant domus: mandatumque fuisse anno 1405. in eisdem Annalibus legimus, ut idem Suburbium edificaretur versus Cellam. Facillime ergo *Sorores a cella* videre poterant *faciem Ecclesiæ nostræ*, ac etiam totam Ecclesiæ, non utique recta, sed obliqua linea.

Novum sibi postea fieri intra Ecclesiæ, immediate ante fores, fecerunt sepulcrum Bojani. Ante annum 1492. jam exstabat. Scriptor ille, qui in calce secundi Necrologii sepulchras, quæ eodem anno erant, recensitas reliquit, sic ait: *In Ecclesiâ... ante fores Ecclesiæ est sepultura illorum Dominorum de Bojanis.* Jam illud exstitisse sepulcrum anno 1470. sequens Membrana docet: 1470. Indict. 3. die 3. Mensis Maii. Nob. Vir S. Conradus Bojanus filius qu. Nob. Viri S. Guilhelmi, suum condidit Testamentum. Primo elegit sui corporis sepulturam apud Ecclesiæ Sancti Dominici FF. Prædictæ Civitatis, Austria, videlicet in tumulo in Ecclesiâ posito, ubi sunt corpora suorum defunctorum. Hinc vero quod prius jacebat extra Ecclesiæ ante fores ejus, terra ac lapidibus opertum remansit.

Diligentissime sequiore tempore, semel ac iterum Benvenuta corpus per-

quisitum, ut decentiorem in locum transferretur, inveniri numquam potuit. Scripta hac dere documenta profero. „ An. Domini MCCCCXLVII. „ die xxvii. Maii, apertum fuit sepulcrum, quod est immediate ante „ fores Ecclesiæ Beati Dominici, in „ quo dicebatur esse sepulta devotissima Benvenuta: & non est inventum corpus ejus. Sed in eo erant „ sex capita, & omnia corpora erant „ resoluta in pulveres, & cineres. „ Interfuerunt autem prædictæ apertitioni Ser Franciscus de Virgiliis „ Provisor Communitatis Civitatis „ fis, Ser Conradus de Bojanis, Ser „ Nicolaus de Portis, Ser Martinus de „ Sancto Daniele, Magister Leonardus „ de Urino Ordinis Prædicatorum, Fr. „ Petrus de Anchona Prior Conventus „ Sancti Dominici de Civitate, Fr. „ Bartholomæus de Firmo Lector Conventus Civitatis „ Fr. Hector de Utino, & alii Fratres prædicti Conventus &c..... Ego Magister Leonardus prædictus manu propria scripsi. „ Libris elucubratis, & concionibus ad populum habitis, magnam sibi ea ætate conciliaverat existimationem Leonardus Ordinis Prædicatorum, dictus Matthei, ac etiam Senior. Vide Jacobum Echardum in Scriptoribus nostris Tomo I. Civitatisense, aut Foro-Julienſe Cœnobium ab anno præcedente 1446. regebat Petrus Anconitanus, ut in Priorum Regestis superius citato num. 11. & 29. Suspicio mihi est, Benvenutæ corpus in sepulcro, quod est in Ecclesiâ ante fores Ecclesiæ, perquisitum fuisse.

Diligentiore cura, post duo fere sæcula, Benvenuta exuvias perquisitæ sunt; neque tamen inventa. Rei memoriam posteris reliquit Bernardinus Gosellinus. „ MDCIX. xvi. Februarii. Anno a partu Virgineo nono „ supra millesimum & sexcentissimum, „ quarto decimo Calend. Martii.

„ Cum

„ Cum multis nobis constaret argu-
 „ mentis, Sanctissimam Virginem So-
 „ rorem *Benvenutam Bojanam* Foro-
 „ julientem ex Ordine tertio Sancti
 „ Patris Dominici, positam fuisse in
 „ Tumulo parentum, qui extra portam
 „ majorem Ecclesie est; fuis prius per
 „ octiduum ad Deum ingentissimis
 „ precibus, recitato etiam *Davidis*
 „ psalterio, quod ad impetrandum a
 „ divina Majestate postulata accom-
 „ modatissimum esse, memorie pro-
 „ didit Fr. *Constantius Fabrianensis* ex
 „ nostra Familia Prædicatorum; re-
 „ citato quoque novies Canticum *Ma-*
 „ „ gnificat, quo remedio ad invenien-
 „ da deperdita sæpius non absque di-
 „ vinis miraculis usum fuisse legimus
 „ Beatum illum Fr. *Aloysium Ber-*
 „ „ trandum Valentinum, quem relatum
 „ propediem in Sanctorum numerum
 „ veneraturos speramus; implorata
 „ præterea Sanctissimæ Virginis Ma-
 „ riæ ope, ut ageret apud Filium,
 „ quo faciliorem nobis aperiremus
 „ aditum ejus precibus, & interven-
 „ tu, hunc pretiosissimum thesaurum
 „ Reliquiarum *Benvenutæ* inveniendi;
 „ hoc tantum nobis proposito ante
 „ oculos, honore scilicet & gloria
 „ Dei Optimi Maximi, & Ancillæ
 „ suæ *Benvenutæ*: effodiendum cura-
 „ vimus ante valvas majores, aperto-
 „ que sepulcro lapideo, quod saxo
 „ superioribus remotis aspicitur, nihil
 „ aliud reperimus nisi septem, vel
 „ octo capita mortuorum, & quam-
 „ plurima ossa, duas etiam fasciolas
 „ aureas, totidemque sericas: quæ
 „ denique reposita fuerunt omnia,
 „ & collaudatus Deus benedictus, cu-
 „ jus voluntatem esse putamus, ut
 „ delitescant ossa *Benvenutæ* ad diem
 „ supremam judicii. Interfuere ape-
 „ ritioni sepulchri Ad. Rev. P. Fr.
 „ *Georgius de Longis Urinensis* bene-
 „ meritus Prior Conventus, Fr. *Geor-*
 „ „ gius Bovius Feltrensis, & Fr. Do-

„ minicus Venetus Novitii professi,
 „ & qui scripsit hæc Fr. *Bernardinus*
 „ *Gauslinus* Lector, alii etiam quam-
 „ plurimi, quos, nemultus sim, o-
 „ mitto. “

Georgius de Longis, & Bernardinus
Gosellinus collapsam in Cœnobio di-
 sciplinam anno 1608. instaurarunt.
 In aliis antiquos, ac novos Conventus,
 favente Numine, inlata est Re-
 gularis instaurata disciplina, ex qui-
 bus Congregatio coaluit sub titulo *Bea-*
 ti *Jacobi Salomonii*, in Veneta Sancti
 Dominici Provincia anno 1662. ere-
 cta. De *Constantio Fabrianensi* agit *Jac-*
 cobus Echard inter Scriptores Ordinis
 Prædicatorum Tomo I. Vita mortali
 migravit Vir miræ Sanctitatis anno
 1481. ipseque erat, qui adnissus Fra-
 tres ad persolvendum crebro *Davidis*
Psalmos inducere, (verba sunt *Leandri*
de Viris Illustribus Ord. Præd.
 Libro V. pag. 154. tergo,) testatur
 se nunquam *Psalterium* perfecisse, quin
 eorum quæ postulaverat a Deo, fieret
 voti compos. Sanctorum albo Beatum
Ludovicum Bertrandum inscripsit *Cle-*
mens Papa X. anno 1671. die 12. A-
 prilis.

Superiori narrationi hæc addita sunt
 ejusdem *Gosellini* verba: „ Perillu-
 stris Dominus *Federicus Bojanus* cen-
 „ set, *Benvenuta* Corpus *Bononiæ* si-
 „ tum esse: quod noctu a Fratre no-
 „ stri Ordinis acceptum asserit, paul-
 „ lo postquam in Tumulo conditum
 „ fuisset, in eamque urbem, & Cœ-
 „ nobium delatum. “ Fides esto,
 ut inquit, penes auctorem. Imo
 Corpus idem *Ravennam* deportatum
 fuisse, scripto reliquit *Marcus Anto-*
ninus Nicolettus. Vide num. 48. Sibi
 multis constasse argumentis *Gosellinus*
 ait, in eo loco quem extra Ecclesiam
 ante portam majorem effodiendum cu-
 ravit, devotissimæ Virginis exuvias
 collocatas fuisse: ac sane, lapidibus
 superioribus remotis, lapideum sepul-

CRUX

crum inventum est. Eo etiam usque antiqua Ecclesia Sancti Dominici cum fronte, aut facie sua protendebatur Benvenutæ ætate; & hanc eandem esse, quod attinet ad molem, cum præsentī quæ visitur, censebat Gossellinus, ipse etiam colligo ex structura, & structuræ modo, ac lapidum forma. Legato quidem relictæ elemosynæ in sæpe citatis Necrologiis toto seculo quartodecimo, & insequente *pro fabrica Ecclesiæ*, ac etiam Ecclesiæ Turris Campanariæ, & Altarium reparatione adnotatæ leguntur: at vestigium apparet nusquam, quod novam Ecclesiæ molem aut erectam, aut ampliata[m] indicat. Hæc omnia Sepulcri identitatem confirmant. Vide num. 8. & insequentes numeros 40. & 41.

(40) *Istud etiam lumen viderunt duodecim, vel tresdecim persona seculares, inter viros & mulieres, quæ erant sub porticibus domorum, quæ sunt ultra pontem nostrum lapideum in facie: de quo dicetur inferius. Paulo infra: (Viderunt) quædam persona, quæ erant in domibus ante faciem Ecclesiæ nostræ dispositis ultra pontem nostrum lapideum. Et infra: Prædictæ mulieres viderunt magnum lumen ibi circa sepulcrum: & venerunt tres ex illis usque ad craticulam, quæ est in introitu Cymiterii. Pons lapideus, qui memoratur, existat hodieque, rivulo defluenti superimpositus: ac etiam existat ferrea crates, quæ venientibus aditum præbet in cœmeterium, vel in aream ante*

faciem Ecclesiæ. Domus cum porticibus modo existant nullæ. His etiam innotescit idem Ecclesiæ, vel Templi situs, qui nunc est, & olim fuerat Benvenutæ ætate.

(41) *Portæ tamen Ecclesiæ videbantur apertæ. Colligitur, portam duplicem, maiorem, & minorem, aditum in Ecclesiā, & exitum ab ea præbuisse in ejusdem fronte. Utraque existabat anno 1492. quo ex Fratribus quispiam Sepulturas recensebat in calce Necrologii secundi: Extra Ecclesiā, manu dextera exeundo, sunt sepultura Dominorum de Strasoldo. Ante Portam parvam, post sepulturas illorum de Strasoldo, est sepultura &c. . . Citra portam sunt sepultura duæ derelictæ &c. Minorem hanc portam postea clauferunt Fratres.*

(42) *Item in Cæna Domini, quæ post hoc tempus secuta est, in nocte sequenti apparuit luminis admirabile signum. Exiit enim de Ecclesiā nostræ per rotam superiorem quoddam lumen, adeo se diffundens &c. Rotam exponit Ducangius. Lychnuchum, in formam rotæ a fornice pendentem in Aedibus sacris: quam alii (inquit) Coronam vocant. Lumen istud apparuisse dicitur in Cæna Domini, quæ post hoc tempus secuta est: idest anno 1293. Sacrum incidit hoc anno Pascha in diem xxix. Martii, Cyclo Solis 14. Littera Dominicali D. & Aureo numero 2. unde Cæna Domini fuit die 26. ejusdem Mensis Martii.*

CAPUT XXII.

Miraculosa morborum sanationes.

Non solum signa cælestium luminum meritis devotissimæ Benevenutæ post mortem ejus apparuerunt, sed etiam corporis, & animæ sanitatum. Fuit quidam Nobilis in Civitate, qui uxorem habebat valde formosam, quæ alias mulieres de Civitate videbatur pulchritudine superare; qui multum diligebat eam, & ideo decorabat eam magnis sumptuosis nobilium vestium ornamentis, & sic cum ipsa vanam ducebat vitam in curiis, & convivis Dominarum, & vanis solatiis chorearum, & in diversarum spectaculis vanitatum. Et licet ita vani essent, tamen diligebant multum, & reverebantur devotissimam Benevenutam propter sanctitatem vitæ suæ quam cognoscebant; & propter hoc sæpius cum devotione multa suarum orationum suffragia postulabant. In die autem in qua Benevenuta ex hac vita migravit, & insepulta remansit, & cum magna devotione visitabatur a multis, venit etiam prædictus Nobilis cum uxore sua ad visitandum sanctissimum corpus ejus. Cum autem pervenissent, projecit se Domina super eam cum devotione multa osculando faciem ejus angelicam, & amplexando corpus ejus sanctissimum cum lacrymarum effusione non modica, sicut & aliæ multæ Domine faciebant.

Postquam autem Benevenuta fuit tradita sepulturæ, coepit ista Domina cum viro suo cogitare super vanitate vitæ, quæ quasi ventus abierat, & super sanctitate vitæ devotissimæ Benevenutæ, quæ suæ vitæ fuerat tota contraria, in qua licet poenas habuerit, erat tamen modo finita. Coeperunt corde compungi, vitam mutare volentes: propter quod vir, & uxor venerunt ad unum Fratrem Prædicatorem cum vera contritione peccata sua generaliter confitentes, & de ista conversione sua Deo, & meritis sanctæ Benevenutæ gratias referentes: & sic abjectis vanitatibus cunctis, de cætero sanctitati vitæ, & jejuniis, & orationibus se dederunt. Postquam autem mortis Benevenutæ celebrata fuit anniversaria dies, prædicta Domina magna infirmitate gravata coepit decumbere, & misit statim pro illo Fr. Prædicatore; cum quo fuerat primo confessa, & coepit rogare dictum Fratrem, quod rogaret Dominum, quod tolleretur eam ex hac vita: & coepit etiam ipsamet ad hoc rogare sanctam Benevenutam. Et dixit Fratri, cui confessa fuit, quod ex illa hora quando confessa fuit secum anno præterito, quando Benevenuta abiit ex hac vita, licet juvenis esset, continenter cum viro suo postea vixit in jejuniis & orationibus multis vitam ducendo. Et in eadem infirmitate trans-

transactis octo diebus omnibus Ecclesiasticis Sacramentis devote susceptis prædicta Domina migravit ad Dominum.

In diebus quando prædicavit Fr. Conradus Confessor Beneventæ in suæ tempore sepulturæ, & prædicavit mirabilia Dei opera, quæ Dominus in ea, & per eam fuerat operatus in illa prædicatione erat quædam virgo devota, quæ Beneventæ fuerat familiaris, & nota, quæ in uno brachio suo quinque annis tam graviter passa fuit, quod non poterat idem levare, nec cum illo caput suum aliquo modo ligare. In sero sequenti, quando erat in domo sua in loco orationis secreto, sic oravit ad Dominum: Virgo Dei Beneventa, si sunt vera, quæ hodie Fr. Conradus prædicavit de te, instantissime rogo te, quod precibus, & meritis tuis subvenias mihi in ista infirmitate brachii, quam habui multo tempore, quod possim de eo me adjuvare in necessitatibus meis ad honorem Dei, & salutem animæ meæ. Et post orationem obtinuit exauditionis effectum, & de illo brachio totaliter est sanata.

Item fuit quædam (43) devota Matrona in Civitate, matertera scilicet Fr. Jacobi Lectoris Paduani, cui ex quadam pustula, quæ nata sibi fuerat sub labio, & in gengivis, dolor intolerabilis supervenit. Cumque probatis diversis medicinis nullum posset invenire remedium, recordata est, quod habebat quædam sua *Pater noster* in una cordula posita, & quomodo cum illis tetigerat corpus Beneventæ, quando in ferebro jacebat exanimis, & cœpit eam invocare cum magna devotione, & dicere: Virgo Dei sancta Beneventa propter multam devotionem, quam habui ad te, cum istis *Pater noster*, quæ hic habeo, tetigi sanctissimum corpus tuum: supplico tibi, sicut possum, ut in ista mea magna tribulatione precibus, & meritis tuis me adjuvare digneris: & colligens illa *Pater noster*, cum manibus suis superposuit loco doloris, & sine moræ dilatione dolor recessit, & sanatum est labium cum gengivis. Item fuit in Civitate quædam juvencula prægnans prope partum filia unica matris suæ viduæ, quæ etiam de alia infirmitate erat tam graviter infirmata, quod quinque diebus nec aquam, nec vinum, nec aliquod aliud potuit transglutire. Cum autem spiritus ita etiam coarctaretur, quod mortis periculum imminabat, mater sua, quæ pluribus diebus, ac noctibus vigilaverat super eam, cœpit magnis vocibus B. Beneventæ auxilium invocare, adjurando eam per omnes gratias, quas sibi Dominus contulit in hac vita, & specialiter per illam, qua ipsam Angelus Gabriel totiens visitavit, & pavit, ne filiam suam tam miserabiliter mori permetteret. Filia etiam sua, sicut poterat, cordis devotione, & signis exterioribus eam in sui adjutorium invocabat. Et ecce ambas somnus arripuit, quæ non dormierant per plures dies: & ecce quædam mulier in veste candida & fulgenti facie astitit filiæ dormienti, & etiam salutavit: quæ cum diceret, quænam es? Respondit astant.

astans: Ego sum Benevenuta Domini Bojani quondam filia: & respondit infirma, Vos beneveneritis; & postea dixit, liberate me de hac infirmitate, ne moriar. Et respondit Benevenuta, vade ad domum meam: & alia dixit, Quæ est domus vestra? Et alia respondit, Ecclesia B. Dominici. Et hoc dicto volebat Benevenuta recedere; & infirma cepit eam per vestem, & tenuit eam dicens, Tangite mihi gulam: quam cum tetigisset manibus suis, dixit, Noli timere, bene curaberis. Et tunc mater infirmæ cum timore excitata est, timens, ne filia moreretur, & palpando filiam excitata est & ipsa. Quæ dixit matri: Heu quam male fecistis mater! tenebam immo S. Benevenutam, & lapsa est de manibus meis, quæ mihi sanitatem promisit: & tunc subito evomuit sanguinis globum condensatum, quasi ovum parvulum; & tunc fuit sanata, & ab omni periculo liberata.

Item fuit quidam adolescens in civitate germanus consanguineus istius juvenculæ, cujus immediate est cura descripta. Hic adolescens in crure patiebatur habens ulcus forte Veneti grossi retinens formam; in quo ulcere nec caro poterat crescere, nec cutis superinduci, tam in Civitate, quam in Venetiis per annum & dimidium multorum probato consilio medicorum. Hic adolescens habebat unum consanguineum, qui fuit filius devotæ viduæ Jacobinæ secretariæ Benevenutæ: hic acceperat a matre sua ratione devotionis particulam veli, quod super caput portabat Benevenuta, & de isto dedit aliquam particulam isti consanguineo suo, qui patiebatur in crure, dicens: Accipe, & pone super ulcus tuum fiduciam habens, & sanaberis. Quo facto statim cœpit caro crescere, & cutis superinduci, & infra paucos dies est plaga sanata.

Item fuit in Civitate quædam juvencula matrimonio copulata, quæ quamdam infirmitatem patiebatur, quæ Fistula dicitur, in pollice pedis, & duraverat illa infirmitas quasi per dimidium annum, & creverat ille pollex satis ultra cursum natuæ, quia processu dierum multa in eo sanies fuerat segregata, & fecerat in eo cavernulas, & foramen ita magnum, quod avellana parvula posset intrare. De quo foramine plura ossa putrida sunt educta, & inde tanta putredinis quantitas emanabat, quod peciæ, quibus pes involvebatur, quasi totæ omni die videbantur infusæ putredine. Color insuper illius pollicis in nigredinem tendere videbatur: & pro cura illius infirmitatis a paupere muliere tres marchas medicus postulabat. Videns autem hæc mulier, quod non poterat satisfacere medico, cogitans etiam quod fuerat devota familiaris Benevenutæ & specialis amica, rogavit (44) quamdam Neptem Benevenutæ, ut inveniret sibi quemcumque pannum, quo Benevenuta super corpus suum usa fuisset; sperans si illum super locum infirmitatis poneret, quod meritis ejus sanitatis remedium inveniret. Quærens autem illa diligenter, invenit unum centonem, quem aliquando in pede portaverat, & dedit

M

illi:

illi: & illa de centone illo modicam truncans particulam posuit super pollicem fistulatum; & pollex cœpit mutare colorem, & de nigredine in rubedinem verti, & siccari fluxus putredinis, & foramina carne reple-ri, & unguis nasci, & indurari; ita quod infra octo dies fuit pollex perfecte sanatus.

Item in die Annunciationis Dominae nostræ cum mortua esset quædam Soror in Domo Sororum nostrarum, & Sorores essent in exequiis funeris occupatæ, misit Priorissa cum festinatione Sororem Wilburgin ad rotam. Quæ cum ambularet in zoculis adeo torfit pedem, quod cadens in terram cum dolore non modico de loco non potuit se movere. Unde portata in Ecclesiam per Sorores, & postea ad Infirmaryam ducta est, ubi fuit in angustia multa usque ad Vesperas. Postea petivit cum devotione de rebus Benevenutæ, quæ ibi habebantur, & dolori appo-suit, & statim dolor integraliter est ablatus, & stetit super pedes, & sic velociter ambulavit; solo tumore in pede, & nigredine remanente in testimonium infirmitatis præteritæ.

Item in eadem Domo Sororum nostrarum est quædam Soror nomine Ambrosina, quæ gravissimum dolorem aliquibus diebus sustinuit circa col-lum: quæ cum nesciret invenire remedium, suggestum est ei, quod de rebus Benevenutæ faceret inveniri, & dolenti loco faceret super poni. Quas cum illa cum devotione magna, & instantia postulasset, & loco dolenti fuissent appositæ sine moræ dilatione ablata est doloris angus-tia, & sanitatis tranquillitas subsequuta.

Item fuit in quadam Villa juxta Civitatem ad duo millia quædam Domina juvenis, & honesta nomine Margaruza cuidam viro matrimo-niali copula sociata; quæ ex quodam casu ita fuit contracta in dorso, & in pectore, & in toto corpore, quod non poterat nec loqui, nec co-medere, nec urinam effundere per octo dies. Calor etiam febrilis huic casui supervenit; unde tam ex casu, quam ex febre ad tantum pervenit periculum, quod a parentibus omnibus, & amicis, & ab omnibus aliis personis omnis spes est ablata salutis, & omnia quæ ad sepul-turam pertinent, parabantur. Hæc infirma habebat in Civitate quan-dam Dominam attinentem sibi in tertio gradu; hæc autem Domina fuit illa quæ cum viro suo conversa est ad poenitentiam meritis devotissi-mæ Benevenutæ, & modo nuper est devote defuncta, sicut parum su-perius est descriptum. Huic Dominae forte per mensem, vel parum plus antequam ex hac vita migrasset, fuit revelatum in visione nocturna, quod in crastinum iret ad istam consanguineam suam sic infirmam, & dice-ret sibi, quod votum faciat Benevenutæ, cujus corpus est sepultum in sepul-cro, quod est ante fores Ecclesiæ B. Dominici; quod si meritis suis, & precibus contingat eam ab isto periculo liberari, quod primam viam, quam faciet extra domum, erit ista, quod suum visitabit primo sepul-

pulcrum, & extendet se in longam veniam super illud, cum candela tam longa, quæ possit totum ambire sepulcrum, & ad honorem suum, & in gratiarum actionem in Ecclesia B. Dominici faciet dici Missam. Hæc autem Domina sicut in nocte sibi dictum fuerat, summo mane surrexit, & ivit ad Villam, in qua jacebat infirma, & inveniens Matrem ejus revelavit sibi visionem, quæ apparuerat ei: & dixit Mater: Filia mea nec audit, nec loquitur, ideo non potest facere quod dicitis; unde vos, cui revelatio facta est, & scitis quomodo fieri debeat, faciat pro ea votum: & nos, sicut voveritis, complebimus totum, si votum Deo dante suum consequetur effectum. Et ista Domina pro ista infirma emisit votum, sicut est scriptum superius. Et emissio voto post modicum infirma coepit oculos aperire, & loqui, & bibere, & comedere, & cætera opera facere sanitatis, & in paucissimis diebus, mirantibus cunctis, plene convaluit, & votum, sicut fuerat factum, devote complevit.

Item fuit in Civitate quædam devota Domina nomine Gisla, quæ habebat unum filium novem, vel decem annorum, qui per plures habebat infirmitates. Habuit manum inflatam bene per tres annos, & aliquando fiebant in ea scissuræ, digiti etiam illius manus omnes magnis nodositatibus erant pleni. Sub brachio illius manus quidam tumor ad modum aposthematis sæpissime veniebat, ex quo totum brachium inflabatur. Collum etiam illius glandinibus erat valde plenum, & valde inflatum, & ab aliquibus istæ glandines scrofulæ appellantur. Et cum istis infirmitatibus aliquibus annis iste puer nimium gravaretur, nec parentes super istis infirmitatibus possent remedium invenire; Mater pueri, quæ sanctitatem Benevenutæ cognoverat in vita sua, & habebat magnam devotionem in ea, audiens etiam, quod Deus post mortem ejus magna miracula faciebat per eam tam de luminibus Cæli, quæ super sepulcrum ejus sæpissime apparebant, quam etiam diversorum curatione membrorum, coepit diligenter quærere si posset de rebus, quas Benevenuta secum portare consueverat aliquas invenire. Et ecce quædam Religiosa cognata sua dedit ei de velo, quod consueverat Benevenuta super caput portare: & accipiens Mater pueri manum infirmam cum illo involvit; sequenti die dissolvens manum, invenit eam perfecte sanatam. Audiens etiam Mater pueri, quod multæ personæ accipiebant de terra, quæ erat circa sepulcrum Benevenutæ, & diversis infirmitatibus apponebant, & curabantur, misit filium suum, ut acciperet de terra illa, & posuit sub brachio pueri cum illa parte veli, quo ligata fuerat manus pueri, & post paucos dies de tumore illo, & de brachio puer totaliter est curatus. Ultimo accepit de terra sepulcri, & cum illo panino cum quo manus pueri, & brachium sunt curata, posuit super collum pueri, & collum coepit diminui, & glandines in unum colligi, &

annullari; ita quod infra paucos dies manus, & brachium & collum, quæ pluribus annis infirmata fuerunt, reformata sunt pristinæ sanitati.

Item fuit quædam devota Matrona in Civitate, quæ adhuc vivente Benevenuta multam devotionem habebat in ea, & Jacobina nominabatur, & habebat unam infirmitatem, quam mihi, qui hæc scripsi, præ verecundia noluit nominare; & causa illius infirmitatis ibat quærendo de rebus Benevenutæ, quas super se quandoque portasset. Et cum invenire non posset, videns, quod multæ personæ accipiebant de terra, quæ erat juxta sepulcrum, accepit & ipsa, & apponens infirmitati suæ, penitus est sanata. Unde cum quædam Amica sua postea portasset sibi de rebus Benevenutæ, a qua antea quæsierat, gratias egit sibi dicens, quod eis non indigebat.

Item Maria Soror quondam Benevenutæ, quæ multo tempore servierat sibi in infirmitatibus multis, parvo tempore post mortem ejus infirmata est de quodam apostemate pectoris cum febre continua. Post curationem vero hujus febris, & apostematis remansit sibi quidam dolor magnus circa caput pluribus diebus & in dentibus, & in gengivis. Et cum quodam die cum isto dolore visitasset sepulcrum Sororis, & flecteret supra sepulcrum, sicut sæpissime faciebat propter nimiam dilectionem, qua dilexerat eam, cœpit rogare, quod ipsa, quæ alias personas juvabat de infirmitatibus suis, etiam se juvare deberet in isto magno dolore, quem sustinebat in dentibus, & in ore; quia multoties juvaverat eam in infirmitatibus suis. Et quia intellexerat Maria, quod de terra, quæ erat juxta sepulcrum infirmitates multæ curatæ fuissent, circumspiciens ne aliquis eam videret, accepit de terra illa, & posuit in ore super gingivas, & dentes; & statim omnis dolor a gingivis, & dentibus est remotus, & post mansit maxime consolata.

ANNOTATIONES.

(43) Fuit quædam devota Matrona in Civitate, Matertera scilicet Fratris Jacobi Lectoris Paduani. In primo, & secundo Necrologio ad diem xxiii. Augusti hæc habetur: MCCLXXXVIII. obitus Fr. Jacobi Pinosa de Civitate Ord. Præd. Lectoris Veneti, cujus anima requiescat in pace. Idem fortasse

fuerit, qui Venetiis, & Patavii disciplinas Theologicas tradiderit in Cœnobiiis.

(44) Quædam mulier rogavit quamdam Neptem Benvenuta &c. An Benvenutæ fuerit Neptis ex Fratre, vel ex Sorore superius memorata n. 22. haud innotescit.

CAPUT XXIII.

Miracula in Monasterio Sororum a Cella, & in Benedictino Sanctimonialium Monasterio Majori.

IN Loco Sororum nostrarum de Civitate est quædam Soror nomine Matildis de Istria, quæ inter alias devotior creditur, quia multum vigilat in oratione, idcirco plusquam aliqua Soror vidit luminaria de nocte splendere in facie Ecclesiæ super sepulcrum Benevenutæ: ista fuit specialis amica Benevenutæ, quando vivebat in carne. Hæc coepit infirmari in pede, & in uno crure, & in manibus, & in capite ex una parte: quia in his partibus videbatur, quod esset insensibilis, & quasi mortua; unde quando cum his membris aliquod tangebatur, vel a re aliqua tangebatur, minime sentiebat. Multoties dormiendo de nocte coacta subito vigilabat, tremorem membrorum fortiter sentiendo: quæ omnia videbantur esse signa futuræ paralytis, & propinquæ. Timens dicta Soror ne fieret sibi penitus inutilis, & aliis Sororibus nimis gravis, coepit vehementer affligi, & se ad Dominum Jesum Christum contulit toto corde cum multis lacrymis postulando, quod meritis, & precibus devotissimæ Benevenutæ placeret sibi, ne ad infirmitatem tam gravem pervenire deberet; super hoc semper cum devotione, & fiducia multa suæ devotæ Benevenutæ suffragium postulando. Audiens etiam ista Soror, quod terra sepulcri Benevenutæ multarum infirmitatum fuerat in salutem, accepit tres lapillos, qui fuerant in illius terra sepulcri, & coepit cum illis tangere membra infirma, & cum oratione, & devotione, qua potuit, crucis caractere consignare. Quo peracto, omnia prædictæ infirmitatis insignia recesserunt, sanitate pristina integraliter restituta; & Domino Jesu Christo, & devotissimæ Benevenutæ reddita gratiarum actione non modica.

Item Priorissa dictarum Sororum nostrarum in Vigilia B. Mariæ Magdalena coepit infirmari de quadam infirmitate insolita valde, & non modicum timorosa. In die prædicta ante prandium digiti unius manus, ea invita, coeperunt separari ab invicem irrationabiliter se movendo: & cum per parvam morulam sic stetissent, conjungebant se ad invicem, & se fortissime confricabant: & post parvam horam, sicut prius, se ab invicem separabant, & quandoque ad partem posteriorem fortissime trahebantur, quandoque etiam tota manus in aliquam partem horribiliter vertebatur, & sic ea invita, sapissime, vel quasi continue faciebant. Post prandium vero prædictæ diei digiti pedis ejusdem coeperunt cum pede similiter facere; & coeperunt digiti pedis tam fortissime se movere, quod una fortis mulier non poterat eos tenere, quando, ea invita,

vita, taliter moverentur. Commotio etiam illa transibat usque ad genua; & duravit ista infirmitas a prædicta vigilia usque ad Adventum. Timentes autem Fratres, & Sorores ne spasmodum incurreret, & sic toto tempore vite sue esset inutilis, super hoc diversorum habuerunt consilia medicorum: & sic in toto prædicto tempore multis susceptis potionibus, & diversis adhibitis medicinis nullum remedium infirmitatis, vel adjutorium sanitatis consequi potuerunt. Accessit autem quædam devota Soror ad Priorissam, & dixit ei: Quare non facitis, sicut fecit Soror Matildis, quæ tangendo se, & signando cum lapillis qui fuerant in terra sepulcri Beneventæ, meritis, & precibus ejus integraliter est sanata. Tunc Priorissa concepit, quod volebat similiter facere, ex quo non juvabant eam adjutoria medicorum; & invenit de terra sepulcri Beneventæ, & ligavit cum devotione, & fiducia multa super digitos pedum, & alias super corpus suum coepit portare de terra prædicta: & ab illa hora in antea nullum prædictæ infirmitatis signum super se potuit invenire. Immo ab infirmitate hanelitus, quam multis diebus habuerat, quia quandoque quasi suffocabatur, nec poterat hanelitu satari, cum ista, & alia infirmitate totaliter est curata, & in omni parte corporis integraliter est restituta pristinæ sanitati.

Item in dicto Conventu Sororum nostrarum est quædam juvenis, nomine Matthiuza, quæ multis diebus quasi per medium annum passa est in stomacho tam graviter, quod cibum non poterat continere; quare multam debilitatem, & angustiam sustinebat. Unde cum quadam vice invaluisset contra eam infirmitas, ista venit ad Priorissam, & coepit ei conqueri de dolore nimio stomachi, & de debilitate non modica. Tunc dixit ei Priorissa: Quare non facis, sicut ego feci? Quando vidi, quod non poteram curari de infirmitate mea per consilia medicorum, contuli me ad adjutorium Beneventæ cum fiducia, & devotione; audiens enim quod terra sepulcri sui multis infirmis fuerat in salutem, posui de eadem terra super infirmitatem meam, & porto super me cottidie, & idcirco totaliter sum curata. Audiens autem hæc Soror Matthiuza a Priorissa, fuit ex una parte verecundia perfusa, & timore perterrita; quia cum a multis pluries audivisset de miraculis Beneventæ meritis perpetratis non credebat, sed potius deridebat. Videns autem ex alia parte in Priorissa per Beneventæ merita de longa, & horribili infirmitate tam grande, & manifestissimum miraculum subito perpetratum, coepit spe curationis, & fiducia relevari. Propter quod poenitentiam agens in corde suo de incredulitate, quam habuerat super Beneventæ de ejus meritis, & sanctitate, promisit ei, quod de cætero volebat sanctitatis suæ plenam habere credulitatem: quod si de sua stomachi infirmitate suis meritis curaretur, sanctitatem suam cum mille Ave Maria, & totidem veniis honorare volebat. Et petivit a Priorissa de terra sepulcri

cri Benevenutæ, quam secum portabat; qua recepta superposuit stomacho, & de cætero non dolor stomachi, non vomitus eam amplius molestavit; sed plena sanitate recepta, coepit sine moræ dilatione communiter in Conventu cum aliis Sororibus hilariter, & cum gratiarum actione Domino servire.

Est quædam antiqua Domina in Monasterio Majori de Civitate, nomine Sophia, quæ longam, & honestam vitam duxit plusquam LXX. annis serviens Deo in habitu Monialis. Hæc plus duobus annis in quodam brachio suo fuit gravi dolore, & infirmitate percussa; os enim brachii exierat juncturam humeri sui, sicut tumor eminentis ossis exterius declarabat. Propter quod cum manu illius brachii nec laborare, nec aliquid facere poterat, sed in continuo dolore, & afflictione manebat. Laborando autem super hac infirmitate multis diebus cum diversis medicinis, nec doloris remedium, sed potius contrarium, nec salutis beneficium aliquod poterat invenire. Audiens autem, quod Deus per Benevenutæ merita, cujus, quando vixit in hac vita, fuerat specialis amica, multis infirmis magna præstabat beneficia sanitarum, ad ejus beneficium implorandum se contulit cum devotione multa, & fiducia magna dicens: Virgo devotissima Benevenuta succurre mihi miserę devotę tuę, quę in hac tribulatione mea non salutis, nec doloris possum remedium invenire aliquod; & ut adjutorium libentius mihi præstes, promitto tibi, quod volo dicere Psalterium unum, & in fine cujuslibet Psalmi, dicendo unum *Ave Maria* ad honorem tuum totum Psalterium decorabo: insuper etiam pro te Reginam misericordiæ millies salutabo. Et incipiens Psalterium suum volens complere promissâ, sicut procedebat in Psalterio, sic doloris remedio, & salutis beneficio juvabatur; ita quod in paucis diebus dolor cum infirmitate recessit, sanitate pristina integre restituta.

In eodem Monasterio erat quædam nobilis fœmina juvenis Monialis nomine Elisabeth de Guarmo, quæ gravissimo dolore capitis fuit frequentius infirmata, quia quandoque in mense semel, quandoque in quindena, quandoque etiam sæpius per tres, vel quatuor dies, tam immanissimo dolore capitis vexabatur, quod nesciebat remedium aliquod invenire. Invaluit autem semel tam graviter iste dolor, quod a clamore vix se poterat continere, & quod non exhibat claustrum, & quod non ibat insaniendo per Terram. Erat autem in dicto Monasterio quædam Monialis Beatrix nomine, quæ hujus infirmæ erat valde specialis amica, quæ astabat ei auxilium impendendo, & consolationem, qua poterat, faciendo. Hæc Monialis fuerat Soror carnalis devotissimæ Benevenutæ, quæ habebat peplum, quod Benevenuta portare consueverat super caput, & hoc manifestavit infirmæ: cui dixit infirma: Cur celsasti a me tam grande munus, & non exhibuisti mihi mei doloris magni remedium?

dium? Quia ista infirma fuerat etiam Devotissimæ Benevenutæ valde devota, & specialis amica: & dictum peplum sibi fecit adduci, & accipiens illud in manibus ad Benevenutam fecit orationem, dicens: O Virgo Sanctissima Benevenuta cum devotione magna, & fiducia multa ad te venio tuum petens auxilium, quia nolo a te petere, quod impetres mihi a Domino, quod ab hac infirmitate totaliter debeat me sanare; quia nec tu in hac vita voluisti totaliter esse sana, immo potius mortificationem Christi Jesu semper in tuo corpore circumferre voluisti cum tua carne sanctissima: sed peto quod per merita tua doloris mitigationem in tantum mihi debeas impetrare, quod meam non auferat rationem, nec impediatur intellectum, ne cogar per Terram discurrere furibunda, & sic in perpetuum sim confusa. Et ista oratione completa deposuit suum peplum, quod habebat in capite, & Benevenutæ peplo postea se ligavit, & post parvulum temporis intervallum, quo vix quis posset Psalmum dicere *Miserere*, sensit mutationem mirabilem in se factam: quia videbatur sibi, quod non esset illa, quæ paullo ante fuerat, de intolerabili scilicet carnis infirmitate, & afflictione spiritus in utriusque hominis integram sospitatem subito transmutata. Et dixit Beatrici: Ego nihil mali sentio, sed totaliter sum sanata: & in ista sanitate permanfit, nec reversa est ad eam infirmitas, sicut prius.

Erat in prædicto Monasterio quædam alia Monialis nomine Raynildis, quæ multis diebus dolorem emigraneum gravissime passa fuit. Ista etiam Monialis, quia devota erat Benevenutæ, multoties rogavit eam, quod precibus, & meritis suis obtineret pro ipsa apud Dominum, quod tam gravem dolorem vel tolleretur ab ipsa, vel mitigare deberet; & per multos dies non potuit exaudiri. Cum autem advenisset vigilia Assumptionis B. Virginis, dixit Monialis ista in oratione ad Benevenutam: O Benevenuta Virgo Sanctissima quomodo potes me devotam tuam dimittere in tanto dolore tam graviter cruciari? Si crastina die in tam devoto Festo tuo B. Virginis permittis istum meum perseverare dolorem, nolo credere, quod sis cum B. Virgine in Regno Cælorum; quia si esses, non dimitteres me in tantæ lætitiæ Festo tam graviter cruciari. Adveniente autem Festo dolor totaliter cum infirmitate recessit, nec eam amplius molestavit.

CAPUT XXIV.

Sanationes alie quamplures miraculosa.

Item fuit quædam conjugata in Civitate, quæ decem & novem diebus, & plus laboravit in partu, nec parere poterat; unde omnes, qui sibi astant, desperabant de vita sua. Supervenit quædam devota Vidua, & cœpit confortare infirmam, & dicere quod fiduciam haberet in Virgine B. Benevenuta, quæ jam in simili casu plures alias liberavit, & faciat sibi votum, & indubitanter divinum præstetur auxilium. Et infirma clamavit se in culpa, quia deridere consueverat personas, quæ super ejus sepulcrum genua flectebant, & venias faciebant, & ait: O Virgo B. Benevenuta ne attendas ad mala merita mea, sed propter omnem gratiam, quam tibi fecit Deus in hac vita, succurre mihi in hac mea necessitate. Et si contingat me liberari per merita tua, volo tua semper specialis esse devota, & candela tuum sepulcrum faciam circumcingi, & ad honorem tuum ibi comburi, & creaturam, quam peperero, tuo faciam nomine nominari. Et fecit dari papyrum illi viduæ, quæ fecerat eam facere votum, ut cum illa mensuraret sepulcrum ad candelam faciendam. Et cum venisset ad mensurandum, antequam reverteretur ad, eam ipsa pepererat pulcrum, & vivum filium masculum: & ordinavit, sicut prius voverat, quod post Benevenutam *Benevenutus* nominaretur.

Item Jacobina (45) devota Vidua Secretaria Benevenutæ, de qua superius multoties est mentio facta, habet unum Fratrem carnalem Canonicum Civitatensem, & est Scriba Domini Patriarchæ, quem super omnes alias personas diligit; & merito, quia ipse versa vice multum revereatur, & diligit eam. Hic circa Festum omnium Sanctorum nuper elapsum cœpit infirmari febre quartana, & alias passus fuerat eandem febrem bene per annum. Postquam autem in ista febre accessionem quartanam habuerat, Jacobina Soror ejus desiderio, & devotione, qua potuit, pro eo ad Benevenutam fudit orationem, dicens: O devota, & Beata Virgo Benevenuta, tu scis, quod te dilexi, quod astiti tibi, quod te sociavi ubicumque voluisti, propter te quod omnia mea facta dimisi. Scio versa vice, quod mihi ostendisti magna signa dilectionis: scio quod adhuc existens in hac vita tantam invenisti gratiam apud Dominum, quod obtinere meruisti quidquid cum instantia postulasti: scio quod modo magis potes apud Dominum, quam prius; rogo quod tu roges Dominum, quod dignetur curare Fratrem meum de ista febre quartana; quia alias experta sum pro simili febre quanta sustinuit. Et ecce, sicut petivit, per merita Benevenutæ exauditionis effectum meruit

N

obti-

obtineret; quia in sequenti acceffione quasi nihil sensit, & postea nunquam, & factus est sanus, & fortis.

Item in Civitate fuit quædam devota mulier uxor cujusdam medici, quæ propter quasdam infirmitates de herbis coctis in aqua balneum sibi paraverat; & cum aqua, in qua erant herbarum decoctæ, deberet in vas projici, & aqua tunc bulliret fortissime, ex incautela projecta est aqua super crus mulieris; ita quod crus suum fuit totum illa bullenti aqua perfusum. Cum autem ei ex hac gravissimus accidisset dolor, recordata est de Benevenuta, quia devotionem multam habebat in ea: & clamavit, & dixit: O Virgo Beata Benevenuta, rogo te per illam gratiam, quam Deus dedit tibi in die Annunciationis Dominiæ nostræ, in qua curata fuisti meritis, & precibus B. Dominici ab omnibus infirmitatibus tuis, quod precibus, & meritis tuis ab isto tam gravi dolore valeam liberari. Quod si continget, tres candelas faciam portari ad Ecclesiam B. Dominici, & ad honorem tuum ibi comburi. Et facta oratione, & emissio voto, sine moræ dilatione dolor omnis cessavit, in testimonium miraculi per plures dies in crure rubedine remanente.

Item fuit quædam Domina nobilis, & devota, Palma nomine, in quodam Castro, quod distat a Civitate per XV. milliaria, quæ Benevenutæ familiaris fuerat, & devota, quia ejus bene noverat sanctitatem, erat enim Fr. Conradi Confessoris sui Soror carnalis. Postquam autem Fr. Conradus Benevenutam tradiderat sepulturæ, voluit visitare istam Sororem suam antequam ad suum accederet Prioratum. Post visitationem illam Soror ejus fuit tam graviter infirmata de quodam dolore, qui contigit sibi circa renes, & ilia, quod vir suus assistens ei non poterat dolori remedium invenire cum tota familia. Recordata est autem Domina de quodam cervicalis operimento, quod miserat sibi Benevenuta, & habebat illud loco secreto repositum; & vocata filia sua fecit illud sibi afferri, & accepto illo, & super locum doloris appposito, cum multa devotione a Benevenuta per sua merita postulavit in tanta necessitate sua a dolore tam grandissimo liberari: & statim dolor cessavit, & dormire coepit, & fuit totaliter liberata.

Item ista eadem Domina (46) duas alias grandes infirmitates, passionem scilicet matricis, & membrorum tremorem, pluribus annis passa fuit; & propter istas infirmitates venit ad Civitatem, ut ab iis curari posset de consilio medicinæ: & multis expensis factis nequaquam valuit salutis remedium invenire. Videns autem hæc Domina, quod medicorum adjutorium non juverat eam, & quod Benevenuta de alia infirmitate sua ipsam subito liberavit, ad ipsam devotissimam Benevenutam reversa est toto devotionis affectu, & vovit, dicens: Virgo B. Benevenuta, credo te esse magni meriti apud Deum, succurre mihi devotæ tuæ in tanta necessitate: quia si precibus, & meritis tuis de istis infirmitatibus me-

meruero liberari, promitto tibi, quod nudipes, & in vestimento lanæ humili, & aspero sine lineis, quamcitius potero, tuum visitabo sepulcrum, & juxta illud sub divo vigilans pernoctabo; Deo, & tibi gratias agendo de percepto beneficio sanitatis; eodem modo, & forma, quo ad te veniam, ad propria reversura. Et hoc emissio voto dictarum cessaverunt infirmitatum incommoda, & ab iis nunquam fuit amplius molestata. Volenti autem devotæ Dominæ suum votum complere cœpit obviare Maritus asserens quod propter debilitatem non posset votum, sicut fecerat, adimplere. Frater etiam Conradus, qui tunc erat ibi, cœpit suadere Sorori, ne se exponeret tanto periculo; sed in hac parte deberet consentire Marito. Domina autem cœpit instare, & rogare humiliter, quod ex quo Deus tantum fecerat sibi bonum, quod dimitteret eam ire. Videns autem Fr. Conradus ejus instantiam, cœpit eam juvare, & suo suadere Cognato, quod secure permetteret eam ire, quia qui juvit eam in infirmitatibus suis, etiam in isto juvabit itinere; & propter hoc sicut emiserat votum, ita complevit. Et super hæc mirabilia contigit aliud non modicum admirandum: quia in tam longo viæ spatio, quia sunt XV. milliaria, Domina tam delicata, quæ longam viam nunquam consuevit facere peditando, nec nudipes etiam ambulare per domum, nec etiam assuevit in vigiliis pernoctare, quod in via tam longa, & lapidosa, & cum tantis vigiliis, nullam in pedibus læsionem, nullam in membris fatigationem, nullam ex vigiliis habuit debilitatem; sed sic se habuit sine omni gravedine, & dolore, ac si in domo propria permanisset; quæ cum ipsa iter fecerant, satis personis aliis fatigatis.

Multa quidem & alia signa fecit Dominus Jesus Christus per merita devotissimæ Virginis Benevenutæ, quæ non sunt hic scripta, præcipue in doloribus, qui contigerunt in diversis partibus corporis, & specialiter in capite, & in parturientium periculò; in quibus omnibus orationibus completis, & votis emissis sine moræ dilatione sequuti sunt salutis effectus: quæ nimis occuparent scriptorem, si per singula scriberentur. Quædam etiam occultata sunt, nec ad publicam notitiam pervenerunt propter pudorem infirmitatum, & etiam propter alias causas nolunt illa manifestare, qui sanitatum beneficia receperunt. Sed manifestant sanitatum signa in (47) luminaribus, & votis cereis, quæ ad ejus sepulcrum sæpiissime transmittuntur: & aliquando ardent super ejus sepulcrum, aliquando vero in Ecclesiam deportantur; de quibus sæpe per totam noctem B. Dominici illuminatur Altare. Præter hæc multæ genuflexiones, & orationes fiunt super ejus sepulcrum assidue. Insuper multi, & multæ volentes Ecclesiam intrare propter reverentiam sanctissimi corporis, quod ibi jacet sub lapide, non audent ponere pedes super lapidem sepulturæ; sed divertentes a latere ad caput, vel ad pe-

des sepulcri per angulum sepulturæ ponunt pedes super limen Ecclesiæ. Et propter hæc, & alia supra dicta, bona fama in populo crescit quotidie.

ANNOTATIONES.

(45) Item Jacobina devota vidua, secretaria Benvenutæ, de qua superius multoties est mentio facta, habet unum Fratrem carnalem Canonicum Civitatem, & est Scriba Domini Patriarchæ. Ecclesiæ Aquilejensis regimen hoc tempore tenebat Raymundus a Turre.

(46) Item eadem Domina (nobilis, & devota, Palma nomine, Soror Fr. Conradi Confessoris Benvenutæ, de qua num. 7.) duas alias infirmitates grandes... pluribus annis passa fuit... Videns autem hæc Domina, quod Medicorum adjutorium non juverat eam, & Benvenuta de alia infirmitate sua ipsam subito liberavit; ad ipsam devotissimam Benvenutam reversa est toto devotionis affectu... Emissio voto (visitandi sepulcrum,) dictarum cessaverunt infirmitatum incommoda... Volenti autem devota Domina suum votum complere, cepit obviare Maritus... Frater etiam Conradus, qui tunc erat ibi, cepit suadere Sorori &c. Anni post obitum Benvenutæ effluxerant, cum ille qui Vitam ejus elucubraverat, litteris adhuc mandabat gloriam posthumam. Chronica nota optime convenit Fratri Conrado de Castillero, qui vitam cum morte anno 1299. commutavit. Vid. num. 7.

(47) Manifestant sanitatum signa in luminaribus, & votis cereis, quæ ad ejus sepulcrum sepiissime transmittuntur: & aliquando ardent super ejus sepulcrum, aliquando vero in Ecclesiam deportantur..... Præter hæc, multa genuflexiones, & orationes fiunt super ejus sepulcrum assidue. Insuper multi,

& multa, volentes Ecclesiam intrare, propter reverentiam sanctissimi corporis, quod ibi jacet sub lapide, non audent ponere pedes super lapidem sepultura; sed divertentes a latere ad caput, vel pedes sepulcri per angulum sepultura ponunt pedes super limen Ecclesiæ. Et propter hæc, & alia supradicta, bona fama in populo crescit quotidie. Hæc sunt vetustissima sacri cultus erga Benvenutam monumenta.

Antiquam servant Cœnobii alumni picturam in aſſere, quæ Virginem repræſentat genuflexam ante Crucifixi imaginem, ſequæ catena ferrea verberantem, radiis cinctam. Ad ſæculum quantum decimum ſpectat opus. Tabulæ longitudo pedes continet 4. & uncias 2. latitudo autem eſt pedis unius cum dimidio, & unius uncia: ejusque ſuperior pars clauditur ſemicirculo. Quatuor etiam pictas Tabellas ſervant Sorores a Cella: noſtramque Virginem tres antiquiores referunt radiis circumdatam. Aliæ ſunt in Monasterio Majori, privatiſque domibus Benvenutæ imagines.

Prima, quam memoravimus picturam, ornaffe videtur Altare Deo poſitum in Eccleſia. Mutius Sforza in diſcurſu della antica, ed illuſtre Famiglia de' Bojani, anno 1589. typis edito cum Vita italice translata, ſic ait: Dopo morte ebbe titolo di Beata, e le furon rizzati altari, come inſino al dì d'oggi ſi vede alla Chieſa di San Domenico di Cridal ſua patria, a man ſiniſtra nell'entrar del Tempio, ov' è il primo altare. Hanc altaris nomine Ben-

Benvenuta appellati erectionem testatur *Marcus Antonius Nicolettus* in Patriarchatu *Mf. Raymundi* a Turre, ubi ad annum 1292. ait: *Mostrò molti miracoli nella Chiesa di San Domenico, dove le fu alzato un' Altare, con pitture rappresentative di tutta la sua vita.*

Exstat hodieque recentius Altare, *Benvenuta* nomine appellatum, quod primum est in Templi parte, ingredientibus dextera. In Volumine *Mf.* quod inscribitur, *Diritti del Convento di S. Domenico di Cividale di Friuli*, adnotatas legimus a *Bernardino Gosellino*, regularis disciplinae in *Forojulensi* Cœnobio strenuo instauratore, pag. 370. tergo, receptas pecunias ab anno 1611. ad annum usque 1631. ad instauracionem, & ornamenta Ecclesiae: conlatique recensentur a *Bojanorum* Familia *Ducati trecenti* ad erectionem. *Altaris. Beata Benvenuta.* Tabula picta Virginem exhibet ingenua provolutam, morboque siderationis curatam precibus Sancti Dominici. Pars Tabulae superior recisa visitur, eique alia substituta cum imagine Virginis Deiparae. Quod factum creditur ab alumnis plus nimio cautis: causa scilicet Decreti, quod *Urbanus Papa VIII.* anno 1625. die 13. Martii mensis edidit.

Ex Schedis Illustrissimi, ac Reverendissimi *D. Philippi* a Turre *Forojulensis*, *Adriae* Episcopi, addiscimus: inter picturas, quae *Claustum* exornant *Romani Cœnobii* sub titulo *Sancti Sixti*, Tabulam esse, quae *B. Dominicum*, & *Virginem* quamdam, mediumque *Jesum Cruci affixum* exhibet. Sinistra manu coronulam precatoriam tenet *Ancilla Dei*, dextera sudarium sanguineis guttis aspersum, habetque corona redimitum caput. Angelus adest, qui phialam gestat. Factum sine dubio adluditur, quod narratur in *Vitæ* loco, *Nota 30.* insi-

gnito. *Epigraphem* Imagini subjectam, quam eo loco descripsimus, iterum exhibemus.... „ *Benenata de Austria*, Virgo nobilitate insignis, „ sed sanctitate præclarior, nunquam „ carne & vino usa est, ter qualibet „ nocte ferrea catena se affligebat, fere „ semper ab Angelo *Gabriele* celestibus epulis cibata fuit, a Virgine *Maria* puerum *Jesum* nocte *Nativitatis Domini* habuit, sæpissime in raptu vidit arcana Dei, in die *Pentecostes* flammam igneam supra singulos Fratres vidit, *Christi* dolores meditans sanguinis lacrymas fudit, quas Angelus in vase excepit. „ *Præclariora Benvenuta* gesta indicantur, quæ latiore sermone in ejus *Vita* narrantur. Nomen *Benenata* non obstat, quod idem est ac *Benvenuta*. Dicitur de *Austria*, quo nomine Civitatem appellatam esse patriam ejus, adnotavimus. Fuit etiam nobilitate insignis, ex illustri videlicet *Bojanorum* genere nata. Cur vero caput Virginis corona exornaverit Pictor? Num eam crediderit ex *Principum* stirpe, æquivocatione ductus illius nominis, de *Austria*? An celestem gloriam ejus in cælo regnantis significare dumtaxat voluerit? Antea nomen *Benenata* spatium esse ferunt, quod fortasse impleverit titulus *Beata*, aut *Venerabilis*, similisve.

Sacellum non præmitto, quod in prædio suo, apud *Villulam* nomine *Iplis* appellatam in *Territorio Civitatis*, erigi anno 1659. fecerunt *Bojani* sub titulo *Sancti Francisci*, ac *Beata Benvenuta*, ecclesiastica accedente *Aquilejensis Patriarchæ* auctoritate. Concessæ facultatis documenta servantur.

Missarum stipendia assignari solent, quæ pro gratiis obtinendis celebrari debeant in honorem *Beata Benvenuta*, in *Altari* ejus in *Ecclesia Sancti Dominici* posito; & hæc adnotatale-

ta legimus non pauca in Regestis Mss. seculi decimi sexti, & infrequentis. Ipsum Altare cingunt *Anathemata* plura in pariete pendentia, quæ illi obtulere, qui variis ex morbis Benvenutæ intercessione convaluisse confidebant. Donaria, aut curatio- num monumenta hujuscemodi plurima combusta fuisse, antiquiores Alu- mni testantur ex Majorum traditione.

*Mappa oblonga linea servatur in Cœnobio, in qua figuræ plures, Jesus Christus e cruce pendens, Deipara, Apostoli, alique Sancti, opere phry- gio elaboratæ visuntur. Opus creditur una nocte ab ipsa Benyenuta cæ- litus adjunctum. Quod in ve- tustis Regestis scriptum est, assero ego. In sacræ supellestilis Inventario quod anno 1440. manu propria Fr. Leonardi de Utino, qui Matthæi cogno- minabatur, ac Senior, exaratum est, hæc verba leguntur: Tobalea cum Cru- cifixo in medio, & Beata Virgine, & Beato Joanne Evangelista, & pluribus figuris Sanctorum contextis, cum armis Dominorum de Boyanis. In alio, quod anno 1504. die 10. Junii scribi fecit Fr. Petrus de Cavalcantibus Prior Pro- vincialis, recensetur Tobalea cum Cru- cifixo in medio, & cum multis Sanctis, ad acum laborata per manus Beatæ Benvenute de Boyanis. Tertium est anni 1522. die 28. Augusti, in quo legimus: *Tovaglia lavorata a ago, che sò della Beata Benvenuta*. In quarto denique anni 1535. adnotatur: *Item Tovaglia, sopra la quale lavorò la Bea- ta Benvenuta Bojana di Cividale coll' ago l' imagine di Gesù Cristo, degli Apostoli, ed altri Santi*. Num vero hæc linea Mappa ad ea pertinuerit mobilia, quæ reliquit Conventui viven- do? Vide num. 36. In Tabulario Fa- miliz de Bojanis Codicillus exstat *Domina Avinent*, quam duxit secun- dam uxorem *Paulus*, filius *Conradi* Bojani. Scriptus est anno 1336. Indi-*

Etione 4. die 1. Martii; in eoque hæc habentur: „ Item legavit Conven- „ tui Fratrum Prædicatorum de Ci- „ vitate unum suum Mantile magnum „ confutum; ita quod ponatur ad suum „ funus, & ad funera aliorum de do- „ mo sua, & aliorum mortuorum „ ubicumque sepeliendorum de volun- „ tate suorum heredum; & ad orna- „ menta Altarium Ecclesie Sancti Do- „ minici, quantum durare poterit: „ & ita quod numquam aliter valeat „ alienari. “ An ergo Mantile istud fuerit idem cum prædicta Tobalea? Id veluti certum non posse colligi existimaverim. Interim Mappam istam singulis annis, die Corporis Christi festa, in clauistro videndam exponunt Fratres, publica per illud proceden- te supplicatione in ejusdem Corporis Christi honorem. Ad infirmos et- iam, maximeque in partu laboran- tes mulieres, transmitti ea solet, ut Benvenutæ precibus ac intercessio- ne in ipsorum necessitatibus adjuven- tur.

Singulis annis, anniversaria rever- tente obitus die, imaginem ejus or- nant Sorores a Cella, & ante ipsam candelas accendunt. Si quid ve- ro pro se, sive aliis impetrandum a Deo occurrit, Beatæ Benvenu- tæ intercessionem invocant: easque fundere solent preces, quas ipsi con- suetas in Vita legimus. Frequens et- iam apud cives invocatio ejus: no- menque Benvenute frequentius puellis impositum, ac etiam pueris Benvenu- ti. Sacra demum Panegirica oratio, coram palamque in Ecclesia nostra a Hieronymo Ercolano Ord. Præd. an- no 1658. habita est, dum Provincia- lia Comititia celebrarentur, typisque Patavii eodem anno excusa apud Pau- lum Frambottum. Hæc omnia sacri cultus monumenta servatis juris for- mulis confirmari possunt.

CAPUT XXV.

Fides dictorum.

ET licet (48) multa superius scripta videantur insolita, & mirabilia nimis, non tamen sapienti, & discretæ personæ debent videri a veritate remota, cum devotissimæ Benevenutæ quasi omnia sint ab ore prolata, & ejus testimonio confirmata, quia nec ejus sunt contraria meritis, nec divinæ incongrua bonitati. Et hæc manifestare noluit, nisi personis fide dignis, quæ convenientes essent ad celandum ea, quæ sibi manifestabat, quamdiu viveret, sub sigillo secreti. Et manifestando illa loquebatur de seipsa semper in tertia persona, quasi de alia, dicens: Fuit quædam persona, quæ sic vidit, vel audivit, quemadmodum Paulus Apostolus manifestans Corinthiis revelationes suas, loquitur de seipso, tamquam de alio, dicens: *Scio hominem in Christo sive in corpore, sive extra corpus vidisse, vel audivisse* &c. Et cum in prosecutione sermonis non advertens loquendi styllum mutaret, interdum loquens in prima persona, & dicens, Ego sic respondi, & sic fuit mihi dictum, & similia, stabat perterrita, & verecundiæ rubore perfusa. Et tunc devota vidua Jacobina secretaria sua dicebat ei: Quare coram me nitimini vos occultare? Scio, quod vos estis, de qua loquimini. Nec illa negabat, sed dicebat: Cavete, ne alicui manifestare velitis; quod si fieret, reputarem maximam injuriam mihi factam. Et respondebat dicta Domina Jacobina: Obligo vobis corpus meum, & animam meam coram Deo, quod certa sitis, quod quamdiu vixeritis, nemini revelabo; quod si contrarium fecero, Diabolus accipiat plenam potestatem super corpus, & animam meam. Immo etiam post mortem vestram, si supervixero, si vultis istud vestrum semper apud me servabo secretum. Et respondebat Benevenuta: Hoc non dico: sed ubi videritis ædificationem sequi, volo quod manifestare possitis. Et ad manifestandum ista non fuit Benevenuta inducta propria voluntate, sed sui consilio Confessoris; immo interdum eam, qua sibi tenebatur, per obedientiam constringendo, specialiter super miraculo, quod in die Annunciationis Dominae nostræ Dominus per merita B. Dominici fuerat in ea mirabiliter operatus. Cujus miraculi modum, & formam adhuc nemini dixerat, nec dicere intendebat; sed Fr. Conradus coegit eam, ut omni petenti manifestaret, prout a B. Virgine acceperat in mandatis, sicut forma miraculi superius est descripta.

Quomodo ergo est verisimile, vel credendum, quod mulier, quæ fuit talis, & tantæ vitæ, quæ de omnibus supradictis, cum esset Confessor suus in exequiis sepulturæ, prædicationis testimonio confirmavit, quæ etiam

iam penitus noluit, quod in vita sua publicarentur (quod & fideliter est, & firmiter observatum) diceret de se verba, vel facta, vel miracula falsitatis? Approbant etiam nimium omnia supradicta miracula, quæ Deus in ea, & per eam fecit in vita sua, & post mortem, miracula cælestium luminum, & curationum diversarum infirmitatum, quæ postea sunt sequuta. Et super omnia illud stupendum prodigium Archangelis Gabrielis, quomodo quinque annis, vel circa hoc, non hominis, sed Archangelis Gabrielis fuerit educata cibario. Quod non solum ipsius Benevenutæ assertionem probatur, sed etiam omnium de Civitate, qui ejus noverunt conditionem, testimonio confirmatur; quod non fuit aliqua persona, quæ vidisset eam cibum sumere, & quem modicum, & valde raro fumebat, non nisi totaliter ejiceret illum in toto tempore supradicto. Sed si forte esset aliqua persona, quæ supradictis tam apertis rationibus, & validis argumentis contemneret adhibere credulitatis assensum (cum sit pium (49) illa credere, & cedat ad honorem Ordinis, & in magnum præconium B. Dominici) timere potest, ne quod de Christo capite, & de suis adversariis prophetatum est, & completum, scilicet: *Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur*: ita etiam de membro Christi Benevenuta Virgine devotissima & de adversariis ejus aliquando dici possit, & etiam compleatur. Si enim quæ superius sunt descripta, & devotissimæ Virginis Benevenutæ processerunt ab ore, non sunt veritatis robore confirmata, sed in injuriam veritatis loquendo de Deo, & de Sanctis, & de se pluries est mentita, necessario sequitur quod non sit membrum Christi, qui est veritas, sed Diaboli, qui est mendax, & pater ejus. Quod de tali, & tanta Virgine nefas est non solum credere, sed etiam suspicari; in cujus ore quamdiu vixit in hac vita, non consuevit mendacium inveniri. Cujus etiam injuria redundat in Christum, qui dicturus est in extremo judicio: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*.

A N N O T A T I O N E S.

(48) Et licet multa superius scripta videantur insolita, & mirabilia nimis; non tamen sapienti, & discreta persona debent videri a veritate remota &c. Adhibendæ fidei argumenta exponit Auctor vitæ: ac eam sane in gestis enarrandis adhibuisse diligentiam videtur, qua major in hisce rebus humanis haberi non possit. Hanc Vitam,

aut potius Vitæ compendium ab Alumnis Forojuliensibus transmissum, vidit Seraphinus Raëtius, illudque italice anno 1577. typis vulgavit, titulo *Beata insigniens Benvenutam: Vita della Beata Benvenuta della Città d'Austria nel Friuli*. Vide Præfationem. *Italicam versionem integram* elucubravit Mutius Sforza, vulgavitque

que Venetiis anno 1589. typis Nicolai Moretti, sub hoc titulo: *Vita della Beata, e devotissima Vergine Benvenuta dell'Ordine di San Domenico, illustrata di molti miracoli in vita, ed in morte*. Hinc vero longius, latiusque Benvenutæ bona fama propagata est. Hanc recudi versionem fecit Jacobus Modonutti Utini apud Schirattum anno 1681. Nostram vide Præfationem.

Neque Latinam Vitam, neque Versionem Italiam viderat Joannes Michael Pius, cum breve compendium edidit anno 1607. in Opere *Delle Vite degli uomini illustri di San Domenico*, deceptusque Benvenutam collocavit inter Illustres Germaniæ Famulas. In alio Opere, quod inscribitur *della Nobile, e generosa progenie del Padre San Domenico in Italia*, Bononiæ 1615. sub oculis jam habuerat Italicam Mutii Sforzæ versionem, quam citat: erroremque prius admissum corrigere potuit ibidem, ac in prioris operis editione Bononiensi anni 1620. Hæc in Præfatione diligentius enarrata consule.

In *Sacro Diario Dominicano* addiæm xxx. Octobris Vitam Benvenutæ, ex prædictis fontibus haustam, exhibet cum Beata titulo Dominicus Maria Marchesius: citatque Ractium, Pium, Maracciam, & Arturum a Monasterio in *Sacro* scilicet *Gynæceo, seu Martyrologio* feminei sexus.

His addo Scriptores Forojulienses tres. Primus occurrit Marcus Antonius Nicolettus, Vir in Civitate Forijulii Patricius, quampluribus operibus, quæ servantur Mss. clarissimus seculo sexto decimo. In Mss. Raymundi a Turre Patriarchatu Aquilejensi diligentissime litteris tradito, ad annum 1292. mentionem ingerit Benvenuta, & ait: *Dopo le gloriose operazioni, eguali a martirj delle più celebrate Vergini, salita in Cielo, mostrò molti miracoli nella Chiesa di S. Do-*

menico, dove te fu alzato un' Altare con pitture rappresentative di tutta la sua vita. Ejus patrem vocat Bojanum Bojani, ipsumque elogio exornat: *Nobile di nobilissima opinione, inquis, d'eloquenza, di giudizio, e maneggio assai più conosciuto, ed accorto, che portasse la condizione di quel rozzo tempo*. Ex ipsa Benvenutæ Vita sumptum est. Vide num. 21. Sine dubio deceptus patrem ejus appellat Bojanum Bojani, cum fuerit Conradus, dictus Bojan: nec ullus hac ætate innotescit, qui Bojanus Bojani vocaretur. Citatum locum consule. Hæc ibidem rursum scribit: *Si crede, che il corpo suo dai Padri del medesimo Ordine occultamente fosse portato a Ravenna, per riporlo in luogo più palese, e per edificar i buoni a gloria di Dio, e della Religione Cristiana, e Domenicana*. An loco Ravennæ legenda potius fuerit Bononia? Vide num. 39. Populares ejusmodi traditiones id evincunt sane, Sanctitatis opinione floruisse Benvenutam.

Jo. Francisci Palladii de Olivis in Opere typis edito Utini anno 1660. f. *Istorie della Provincia del Friuli, Parte II. Libro VII. ad annum 1292.* verba sunt: *Viveva Benvenuta della Nobile Famiglia Bojana di Cividale, che fu donna per esempio, e santità di vita, per contemplazione estatica, e per miracoli cospicua. Vestiva dell'Abidi S. Domenico, morì di anni trentaotto, e si honora col titolo di Beata. Memoro demum Lucrotium Trejum, Patricium Utinensem, in Sacris Monumentis Provincia Forijulii num. LI. ubi elogium Benvenutæ textitur.*

(49) Cum sit pium illa credere, & cedat ad honorem Ordinis, & in magnum præconium Beati Dominici. Hæc fati indicant verba non, solum Benvenutam in stadio virtutis percurrendo directorem, & Confessorem habuisse Fratrem Conradum Ordinis Prædicatorum;

torum; sed etiam Prædicatorum Ordini ratione quadam peculiari additam fuisse. In secundo vetusto Necrologio Ms. hæc habentur: (Die xxx. Octobris.) *Obitus Benvenute, filia q. Domini Bojani. Vixit devota in tertio Ordine nostro. Longe post obitum Benvenutæ scriptum dignoscitur prædictum Necrologium: ac in primo, quod antiquius est, & sine dubio synchronum, solum vixisse dicitur probatissima Virgo in Spiritu devote.*

Ex ipsa tamen ejus Vita colligimus plura, quæ suadent, ad Ordinem Sancti Dominici, qui postea *Tertius* dictus est, eam pertinuisse. Eximias namque Sancti Dominici virtutes, austeritatesque ad imitandum sibi proposuit ipsa, easque tota vita sua pro virili æmulata est. Sub initium Vitæ legimus: *cum Beato Dominico apparente sibi eam composuisse passionem, ut pro sua filia spirituali ab ipso acciperetur: unde Patrem suum deinceps appellavit ipsum, & istam Filia nomine vocabat ille.* In capite *peplum*, seu velum gestabat, ferebatque *pallium*: quæ peculiaris professionis vestimenta videntur, virginibus aut mulieribus quibuscumque pietati addictis non communia. Adde *Fratres* Civitatenfes convenientes in Ecclesiam, ut certiores de miraculosa curatione fierent: ac *Venetos* adde *Fratres cum Lectore*, qui Virginem Bononia redeuntem, quo voti solvendi causa profecta fuerat, in Templo Sanctorum Joannis & Pauli exceperunt, precibus inducentes eam, ut patratum

miraculum enarraret: familiareque demum adde consuetudinem ejus cum *Sororibus a Cella*. Quæ omnia *Benvenutam* exhibent in *Militia Jesu Christi*, ut ea ætate vocabatur, stipendia merentem sub cura Fratrum Prædicatorum, ac sane *Sororem de penitentia Sancti Dominici*: quod etiam nomen in usu erat, ac invaluit. Consule *Commentarium nostrum Historicum de Rebus Congregationis &c.* Capite xxxii. num. 111.

Eo titulo fretos dubitaverim nullus, Fratres Prædicatores *Benvenuta* in agone positæ adstitisse: ac *more solito Commendationis anima officium prosequutos* esse, ut legimus in Vita. Hinc etiam volebant ipsi, *eadem die sepultura eam tradere*: aliorumque votis indulgentes, *insepultam ea die reliquerunt*. Verum *Prior* denique cum *Conventu suo pervenerunt ad corpus, ac omnibus quæ necessaria erant preparatis, ad Ecclesiam Beati Dominici processionaliter sunt reversi: positoque in Ecclesia sancto corpore, & officio mortuorum incepto, & cum vesperis finito, ceteri qui non debebant pernoctare cum corpore, ad propria redierunt*. Ita scilicet de re jure peculiari sua, idest de *Sorore de penitentia Sancti Dominici*, disponebant Forojuliensis Cœnobii Alumnii. Hæc omnia spectabat, ac etiam traditione quæ vigeat in Cœnobio, nitebatur *Scriptor secundi recentioris Necrologii*: adnotavitque, *vixisse devote Benvenutam in tertio Ordine nostro*.

IN VITAM B. BENVENUTÆ

ANNOTATIONES ALIÆ.

I. IN Vita Capite IV. pag. 23. lin. 14. legimus : *Audire poterant plusquam per milliare latinum*. In voce, *latinum*, mendum cubat, quod exciderit calamo oscitante. Legendum videtur *latum*, idest spatiosum & amplum, vel etiam *longinquum*, adverbium. Mutius Sforza italice vertit, *un miglio lontano*.

II. De Sanctissimæ Virginis Deiparæ assumptione in cælum agitur Capite XIV. Benvenutam vidisse in raptu Spiritus, narrat Auctor Vitæ pag. 61. *quomodo Dominus Jesus Christus portabat animam Beatissimæ Matris sue*. Tum Benvenuta, tum Auctor animam in Cælos delatam intellexerint cum redivivo corpore, ut pium ecclesiasticum dogma fert, quod satis indicat integer Vitæ locus. Italice vertit Mutius Sforza : *come il Signor della gloria Gesù Cristo con viso lieto accoglieva la sua Beatissima Madre, seguita, e servita da Schiere numerose di Angeli, e Santi, secondo gli ordini ed eccellenze loro*.

Sancti Thomæ verba sunt in Opusculo super salutatione angelica : „Ter-
„tia (maledictio) fuit communis vi-
„ris, & mulieribus, scilicet ut in pul-
„verem reverterentur. Et ab hac im-
„munis fuit Beata Virgo : quia cum
„corpore assumpta est in Cælum. Cre-
„dimus enim, quod post mortem re-
„suscitata fuerit, & portata in Cæ-
„lum. “ Quo ab obitu die revoca-
tum ad vitam fuerit venerabile Dei-
paræ corpus, ignoratur. Id factum ali-
qui putant ipso obitu die, alii die ab
obitu tertio, alii decimoquinto, alii qua-
dragesimo. Eorum conjecturam existi-
mat probabiliorum Franciscus Suarez

3. P. Tomo II. Disput. XXI. Sect. 11. qui tertio a morte die Mariam Virginem revixisse dicunt. Hanc Synodus Jerosolymitana, adversum Calvinistas anno 1672. celebrata, expref-
sit his verbis : *Ipsa cum corpore assumpta est in Cælum. Et quamvis conclusum sepulcro fuerit immaculatum corporis ejus tabernaculum, in Cælum tamen, uti Christus fuerat assumptus, tertio & ipsa die rediviva migravit*.

Hinc vero Scriptores fuere, qui apud Baronium in Notis ad Martyrologium, die xv. mensis Augusti, Deiparæ cum redivivo corpore delationem in Cælum, secundam appellavere Assumptionem. An ergo Benvenute visio intelligi fortasse debeat de primo animæ ejus, ut ita dicam, ingressu in Cælum, ac prima assumptione? Locum habeat, si quidem opus est, prudentissima ejusdem Baronii animadversio ibidem post Sanctum Antoninum in Chronici tertia parte Titulo XIX. Capitulo XI. *Non semper que Sancti viderunt in Spiritu, eadem ut Prophetas vidisse; sed juxta suas mente conceptas imaginationes, quin eorum Sanctitati quidpiam detrahatur*.

Præconceptis utique imaginationibus explicantur Benvenutæ visæ, quæ hoc in Capite, & Capite VI. & XIII. & alibi recensentur, de Missæ officio in Calis celebrato, paratoque Christo, & adstantibus Diacono, & Subdiacono, aliisque Ministris, deque Virgine Deipara publicas Fratrum per Ecclesiam supplicationes comitante: hisce namque sacris ritibus, quos virgo pientissima frequentissime videbat, assuetæ imaginationi similes in ejus visionibus,

ac revelationibus obversabantur imagines; quod in aliis sanctis viris, piisque mulieribus accidisse, adnotant Biographi, ac Theologi. Animadversiones id genus alias consule apud Sapientissimum Benedictum XIV. Pontificem Maximum, in Opere præclarissimo, eruditione omnigena re-ferto, *De Servorum Dei beatificatione, & Beatorum canonizatione*, Libro III. Capite ultimo.

Quo demum honore, & angelico comitatu perducta in Paradisum fuerit Sanctissima Deipara, narrat *Benvenuta*: „ tractant eleganter Patres, „ & pia potius consideratione, quam „ scholastica discussione indiget. (Verba sunt Suarezii loco citato.) Pie „ credunt, non solum omnes Angelorum, & Sanctorum choros, verumetiam ipsummet Christum Dominum in Virginis occursum venisse, & cum ingenti gloria & gaudio secum eam in thronum deduxisse. “ Paria scribit *Sanctus Antoninus* in Chronico Parte I. Titulo VI. Capitulo III. §. 1. His autem *Benvenutæ Vitæ* locus satis illustratus manet.

III. Apparitionum, ac revelationum, & visionum cælestium, quæ frequentissime *Benvenutæ* accidebant, causas perquirat Auctor *Vitæ* Capite XVIII. easque adsignat plures, ac prudentissime declarat. Similes tradiderunt Viri docti, qui data opera hocce de argumento agunt. Affero verba *Consalvi Duranti*, Episcopi Ferrerani, in Tractatu de Visionibus, Revelationibus, Apparitionibus &c. ad *Revelationes Sanctæ Birgittæ* præmissa, Capite XVI. circa finem: *Postrema harum Visionum nobis potissimum causa visa est: quod Viris sanctitate conspicuis, in hac vita degenitibus, letitia quadam spiritualis, & solumen aliquod tribuatur. Et sane consentaneum esse videtur, & Dei be-*

nignitati conforme, ut hi qui in hoc se-culo magnis exantlatis laboribus, multis jejuniis vigiliisque perpeffis, pluribus tribulationibus curisve afflictis, vitam traduxerunt, misericorditer a Deo sublevarentur, illis arcana cælestia his visionibus communicando, quæ deinde vita functi in patria se visuros esse sperarunt.

IV. Nummorum *Aquilejensium* inter superiores *Annotationes* num. 7. & sapius infra, ac etiam in *Vita* Capite XXII. pag. 89. injecta mentio ansam præbet, hocce in argumento ut aliquantulum immoremur, novam eidem lucem afferentes. Dissertationes duas *De Nummis Patriarcharum Aquilejensium* jam pridem vulgavimus, primam typis Venetis Jo. Baptistæ Pasquali anno 1747. eisdemque typis anno 1749. alteram. In utraque usus in Officina Monetaria Patriarcharum nummos diligentius recensuimus, itemque *ideales* ea ratione excogitados, ut minores summa enunciantur pretia rerum, ac facilius ratiocinia instituerentur. Nummi *culi* erant *argentei*, qui *Denarii* vocabantur, singuli constantes *quatuordecim parvulis*, ut appellari consueverant, quos etiam Monetaria officina cudebat. Inter *ideales* primum locum tenet *Marcæ*, centum & sexaginta denariorum: tum *Forto*, quartâ *Marcæ* pars, denariorum quadraginta: & *Libra*, quæ usu frequentiore viginti denarios continebat. Vetustæ in *Aquilejensi* Provincia, sub dominatione Patriarcharum, *Chartæ emptionum, venditionum, locationum*, similiumque contractuum innumera sunt, quæ *Solidos* enunciant, *duodecim parvulorum* singulos. Hinc mota quæstio: An præter argenteos denarios, *Aquilejensis* officina Monetaria cuderet etiam *solidos*? Negantem partem amplecti mihi libuit in Dissertatione I. Capite III. & in Secunda Capite V. validissimis permoto ar-

gumentis, ac *Tabulis* præsertim, quæ initas de cudenda Moneta conventiones continent, confectis anno 1330. sub Pagano Turriano Patriarcha, & anno 1351. & 1356. sub Nicolao Caroli IV. Imperatoris fratre, & anno 1359. sub Ludovico de gente Turriana lato.

Vetustas Chartas, quæ memoratæ sunt, ac sane ingerunt grave negotium, ita exponi posse existimabam, ut *Solidi* enunciati in aliquibus intelligerentur *identas*, in aliis ipsi *denarii quatuordecim parvulorum*, ac in aliis demum *Solidi Veneti*, ac nummi cusi in exteris Officinis: quæ omnia exemplis, quæ videbantur perspicua, confirmabam. Liti finem imponunt aliæ vetustæ Chartæ, ac vetusti Mss. *Codices dati & expensi*, ut appellantur, quos ex Archivis eduxit summa diligentia Ornatissimi Caroli Fabricii, Patricii Utinensis. Hæc pro sua solertia, suoque acumine ingenii cum lustraret ipsæ monumenta, & expenderet, id consequutus tandem est, ut ipsi *Denarii*, quatuordecim parvulorum singuli, cusi percussique in Officina Monetaria, cum *Moneta mutatio* contingeret, sive sub novo qui succedebat Patriarcha, sive etiam sub eodem, ad valorem *solidorum*, sive *parvulorum duodecim* redigerentur, ac etiam *solidi* vocarentur. Vetusta aliqua documenta, quæ Viri clarissimi humanitati summæ debeo, in lucem profero, ac illustro: his enim notum sit, compertumque, de hisce *solidis*, qui cum primo percussi sunt, *denarii* erant, sin omnes, plurimos certissime intelligendos esse emptionum, & venditionum, ac solutionum contractus, quos præstant superius memoratæ Forojulienses Chartæ.

Primum accipe. „ M.CCC.LXIII. die Veneris, decimo nono Mensis „ Maji. Posita, & præconizata fuit „ Moneta, quæ valebat unum dena-

rium, ad unum solidum. Et de hoc „ fit memoria, eo quia *moneta com-* „ *munis* descendit ad prædictum mi- „ *norem valorem*. “ Anno illo Aquilejensem Ecclesiam regebat Ludovicus Turrianus. Tabulas de nova cudenda Moneta, sub eodem Ludovico confectas anno 1359. indeptæ scilicet dignitatis anno primo, in prima Dissertatione vulgavimus Capite 1. n. 1. „ M.CCC.LXXXV. die Martis, 16. „ Maji. In pleno Consilio deliberatum fuit, quod *Denarii* q. Domini „ *Marquardi* Patriarchæ expendantur „ *pro Solido*. “ Mortem obiit Marquardus anno 1381. die 3. Januarii. *Philippo Cardinali de Alenconio* commissæ fuerat Aquilejensis Ecclesiæ administratio. In partes divisa Provincia Forojuliensis: novumque Patriarcham, aut Ecclesiæ Aquilejensis administratorem excipere Utini Cives renuebant. Ad ipsius Civitatis Consilium pertinet memorata *Deliberatio*.

„ Eodem anno M.CCC.LXXXV.... „ recepi a Nicolao Ser Tingi pro „ quinterio Burgi Aquilejæ *Marchas* „ 33. *Solidorum*, & *Solidos* 52. Erant „ dictæ pecuniæ in *denariis*, & venerunt *Soldi*. “ Quid clarius? Patria accipe documenta duo.

„ M.CCC.LXXXV. die quinto „ Mensis Februarii, de mandato ut „ supra, expendit dictus Camera- „ rius..... dedit Ser Christophoro „ Cignotti, super quodam jure empto ab ipso Nicolao.... seu ab ejus „ uxore de *ducentis sexdecim ducatis auri*, quos dicta.... uxor Nicolai prædicti volebat a Communitate „ Utini..... *ducatos octuaginta duos*, „ constituentes *Marchas denariorum* „ *XLI*. eo quod Ducatus tantum valebat, quia *denarii debebant pro-* „ *clari, & banniri, & in Soldis ex-* „ *pendi*. “ Intelliguntur *denarii*, qui cusi fuerant sub Joanne de Moravia Patriarcha, e vivis erepto, interfecto-

que anno 1394. die 12. aut insequente Octobris. Hi *banniri* debebant, ac reduci ad *Solidi* valorem. Joanni Patriarchæ successerat *Antonius* ex nobilissima *Cajetanorum* familia, adiitque Metropolitanæ Ecclesiæ possessionem anno 1395. die 19. Mensis Aprilis.

Initum contractum exhibet Charta sequens, in quo duorum parvulorum compensatio fieri debuit pro singulis denariis, jam proclamatis, & bannitis, redactisque ad valorem *Solidi*. „ M.CCC. die XII. intrante Majo.
 „ Pro defectu, & mancamento novem *Marcharum*, & *medie* denariorum antiquorum, quos *Buffolinus* dedit pro novis: & XII. *Marchis*, quas dedit *Martinus Judæus* pro novis, de voluntate Domini *Castaldionis*, & Consilii: *Marchas tres*, & denarios XI. & *Veronenses sex*. “ Anno 1300. infulas *Aquilejenses* gestabat *Petrus Gerra*, qui anno præcedente successerat *Raymundo Turriano*.

Calculo, & ratiocinio innotescunt, quæ in allata Charta enunciantur. In singulis *Marchis* denariorum antiquorum, si denarios redactos ad valorem *Solidi* accipias, defectus & immunitio erat parvulorum 320. Continet quippe *Marca* denarios 160. Itaque in *Marchis* novem & dimidia, ac insuper duodecim, scilicet *vigintiuna cum dimidia*, desiderabantur parvuli 6880. Hanc summam divide per 14. parvulos, quot nempe *denarius novus* constabat: & habentur *denarii* 491. singuli quatuordecim parvulorum: ac supersunt *sex parvuli*, qui vocari solebant *Veronenses*. Denarios illos 491. redige in *Marcas*, 160. denariorum singulas: ac fiunt *Marche tres cum undecim denariis*, quibus adde residuos *sex Veronenses*. Clarius, ac certius proferri nihil potest. Sed hæc, licet compertissima sint, nostras attamen superius indicatas conjecturas relinquunt intactas, quæ aliquibus in contractibus locum habere potuerint.

F I N I S.

IN-

I N D E X

N O M I N U M , E T R E R U M

QUE IN PREFATIONE, ET ANNOTATIONIBUS
H A B E N T U R .

A

A Deleita, mater Fr. Conradi de Cassillerio. pag. 17.
 Agnes uxor prima Pauli Bojani, qui fuit Benvenute frater. 78. Obitus ejus. ibid.
 Albertina, uxor Conradi dicti Bojani, & mater Benvenute. 43. Ejus familia. ibid.
 Alsubetta, neptis D. Lucardis, reclusa ad S. Stephanum in Civitate Austria. 66.
 Anni Caroli Magni, in Italia regnantis, ducti non solum ab anno Christi 773. & 774. sed etiam ab anno 775. insequente. 11. & 44.
 Assumptio sanctissimæ Virginis Deiparæ in calum cum corpore redi vivo. 107. Visio Benvenute illustrata. ibid. & seq.
 Avemaria, quomodo in usu esset atate Benvenute. 15.
 Avicenna, calorem spiritalem, & naturalem in homine, & animalibus distinguit. 38. & seq.
 Avinent, uxor secunda Pauli Bojani q. Conradi. 78. obitus ejus. ibid.
 Austria Civitas idest Orientalis: aut Civitas Austria, idest regionis Orientalis in Regno Italie Langobardorum. 10. Dicta prius Forumjulium. ibid. Et Metropolis Aquilejensis, cur. ibid. Dicta etiam Civitas Foro-Juliana, Oppidum Forijulii, Castrum Forojuliense, Civitas absolute. 11. Item Forjulatium, Cividatum, Cividale del Friuli. 12. Fabella de nomine Austrie, veluti ducto a Rosimunda, nupta Luitprando Langobardorum Regi, ex progenie Principum Austriacorum. 11. 12. Muris interioribus cincta civitas seculo quartodecimo incepto. 84. Ejus suburbia manibus munita seculo decimo

sexto. ibid. Suburbium Sancti Dominici edificatum seculo quintodecimo. ibid.
 Austria provincia, seu regio, pars nempe Orientalis in Regno Langobardorum. 5.
 Origo vocis. 11.

B

Baronius Caesar, laudatus. 107.
 Beatrix, Soror Benvenute, virgo sanctimonialis in Benedictino S. Mariæ in Valle Monasterio in Civitate Austria. 46.
 Benedictus XIV. Pont. Max. ejusque sapientissimæ animadversiones de Revelationibus, & Visionibus. 107. & seq.
 B. Benvenute Vita latine scripta. 3. Codex vetustus, & synchronus. ibid. Nasivitas ejus. 12. 75. Virginem Deiparam colebat, cujus sacra Icon in vertice montis. 13. Maria, soror ejus. 14. Laboriose, & proluxe præcum formula, quibus utebatur. ibid. jejunia in Quadragesima majori, & Sancti Martini. 20. Diabolicis prestigiis, & infestationibus vexata. 24. Frater ejus, in dissidio interfectus. 29. Alius frater ejus, Fr. Jacobus Ord. Præd. 31. Matildis, soror ejusdem. 46. Et Beatrix, sanctimonialis virgo. ibid. Aliæ tres sorores 47. Ecclesiam S. Stephani frequentat. 52. Vocatur Benenata in Romana epigraphe. 57. 101. Anno ætatis 38. currente, migrat e vita. 75. Paulus tertius frater ejus. 78. Tumulatur in sepulcro parentum. 75. Extra Ecclesiam immediate ante fores. 83. Luminaria divinitus accensa super, & circa sepulcrum. 84. Quæ visa fuerit a Sororibus a Cella, aliisque plurimis. ibid. & 88. Bis Benvenute corpus diligenter per-

perquisitum, inveniri non potuit. 84. & seq. Alio occulte translatum fertur. 85. Sacer cultus post ejus obitum. Vide Cultus Sacer. Deo militavit in tertio S. Dominici Ordine: quod probatur. 106. Benvenuta visiones, & revelationes expositæ. 107. & seq.
 Bojan, aut Bojanus, agnomen (soprano) Conradi, patris Benvenutæ. 13. & seq. Postea cognomen nobilis Familie. ibid.
 Bojana Familia, & gens. 13. & seq. Ejusdem genealogie pars. 45. & seq. Vide, Conradus Bojanus, & Paulus filius Conradi. Ipsius Familie nobilissime ornamenta. 80. Privilegium deferendi, & offerendi novo Patriarchæ enssem cum vagina, & Crucem. ibid. Vide, Fridericus Filius Conradi, & Guillelmus.

C

Calix, cum vino non consecrato porrectus communicantibus ad oris ablutionem. 52.
 Cancianus Episcopus Civitatis Novæ, seu Emonie in Istria. 79. Obitus ejus. ibid.
 Castillerium, Castrum, diratum a Nicolao Patriarcha. 17.
 A Cella Monasterium. Vide Monasterium a Cella.
 Civitas Austria, Forumjulium, Cividale del Friuli. Vide Austria Civitas.
 Cænobium S. Dominici in Civitate Austria. Vide S. Dominici Cænobium.
 Conradina, Soror Benvenutæ. 47. obitus ejus. ibid. Aliæ Sorores. ibid.
 Conradus, Episcopus Justinopolitanus in Istria. 66.
 F. Conradus Ord. Præd. Confessarius Benvenutæ. 16. Nobilis genere. ibid. & 17. De Castro Castillerii. 17. Filius Adeleitæ, & Frater Philippi. ibid. Scriptor Vitæ Benvenutæ. ibid. 18. 72. 100. Regit Cænobia plura. 23.
 Fr. Conradus de Castillerio Ord. Præd. Vide Fr. Conradus Ord. Præd.
 Conradus dictus Bojanus, pater Benvenutæ. 13. & seq. 42. Ejus prudentia, & peritia, & in agendis dexteritas. 43. Munia obita. ibid. Obitus ejus. ibid. Purgatorii pænis liberatur filie precibus. 42. Uxor ejus Albertina. 43. Idem Conradus, & Majores dicti de Pertica.

ibid. Appellationis causa, & origo 44. & seq. Conradi stemma genealogicum. 45. & seq. Domus ejus in Suburbio S. Petri prope Ecclesiam S. Stephani. 52.
 Conradus filius Pauli q. Conradi Bojani. 79. Regit Marchionatum Istrie sub Bertrando Patriarcha. 80.
 Conradus Bojanus, institutus Marescallus ab Antonio Cajetano Patriarcha. 80.
 Cornelius (Flaminius) Senator Venetus, laudatus. 66.
 Corone Dominicæ Festum. 12. Diversum a Festo Lanceæ Domini. ibid. & 13. Ipsum institutum seculo quattodecimo. ibid. Illud seculo præcedente, vel antea. ibid.
 Cultus sacer erga Benvenutam post ejus obitum. 100. Picturæ cum radiis. ibid. Altare vetustum, ac recens in ejus honorem erectum Deo. ibid. 101. Epigraphæ in Claustro Romani Cænobii S. Sixti. 101. Appellata Benenata. ibid. sacellum positum in ejus honorem. ibid. Missarum sacrificia oblata in ejus honorem. 102. Linea mappa, quæ manibus ejus elaborata fertur. ibid. Singulis annis anniversariam diem celebrant Sorores a Cella. ibid. Scriptores, qui memoriam ejus agunt. ibid.
 Cuniza, idest Cunegunda, Soror Ordinis Humiliatorum in Civitate Sacili. 66. Reclusa Justinopoli in Istria ad Ecclesiam S. Michaelis. ibid.

D

S. Dominici Cænobium, & Ecclesia in Civitate Austria. 18. Primordia. ibid. Majus altare, olim Deo dicatum in honorem S. Dominici. ibid. & 57. Eadem Ecclesia, & Cænobium sequiore tempore perfecta. ibid. Quantum distent ab Ecclesia S. Stephani, prope quam erat Benvenutæ domus. 52. Ecclesiæ moles, quanam ætate Benvenutæ. 86. In ejus fronte olim porta duplex, major, & parva. ibid. Extra aream, & cratem ferream pons lapideus, uti hodieque. ibid.
 S. Dominici Festum, celebratum die quinta Augusti, & cur. 55. Translatum ad diem quartam. 56. & seq.
 S. Dominici Ordo secundus appellatus, in quo Deo militant Sorores a Cella Civitatenfes. 34. Ordo tertius de penitentia. 106.

S. Da

S. Dominici Suburbium in Civitate Austria, edificatum seculo quintodecimo. 84.
Durantus Consalvus, Episcopus Feretranus, & ejus Tractatus de Visionibus, Revelationibus, Apparitionibus &c. 108.

E

Epigraphæ, Romana in honorem Benvenutæ in Claustro S. Sixti. 57. Vocatur Benenata. ibid.

Epocha annorum Caroli Magni, in Italia regnantis, duplex hæcenus notæ. 11. Tertia desecta. ibid. & 44.

Ezzelinus Tyrannus. 67.

F

Fabrianensis Constantius O. P. vir miræ Sanctitatis. 85.

Fortunatus Venantius tradit, Forumjulium dictum Juli (Cæsaris) de nomine Principis 10.

Forumjulium, Civitas. 10. Provincia a Civitate Forijulii dicta. ibid. Vide Austria Civitas.

Franciscus, filius Pauli q. Conradi Bojani. 79. Obitus ejus ibid.

Fridericus, pater Natalis Episcopi Civitatis novæ in Istria. 79. Obitus ejus ibid.

Fridericus, filius Conradi Bojani q. Pauli Vicedominus in Foro Julia, vacante Ecclesia Aquilejensi 80.

G

Garampius Josephus, laudatus. 20.

Gosellinus aut Gauslinus Bernardinus O. P. disciplinæ regularis instaurator in Cænobio S. Dominici Civitatenf. 84. & seq.

Guilicolina, mater Natalis Episcopi Civitatis novæ in Istria. 79. Obitus ejus. ibid.

Guillelmus Bojanus, Marchionatus Istriae regit sub Ludovico Turriano. 80.

H

Homo uterque, idest interior, & exterior, animus & corpus. 52.

I

Fr. Jacobus Ord. Præd. Cænobii Civitatenf. alumnus, Benvenuta frater. 31. Obitus ejus. ibid. Conradum appellat deceptus Mutius Sforza. ibid.

Fr. Jacobus Pinosa O. P. cujus matertern Jacobina Civitatenf. 92. Theologiam docet Venetiis, & Patavii. ibid.

Joannes, Episcopus Civitatis novæ, seu Emonia in Istria. 79.

L

De Lancea Domini Festum. 12. & seq. Leucardis, seu Lucardis, Matrona nobilis. 66.

Luminaria divinitus accensa post obitum Benvenutæ supra, & circa sepulcrum. 84.

M

Marchesius Dominicus M. O. P. laudatus. 105.

Marchionatus Istriae. 80.

S. Margarita V. & M. Festum in Diocesi Aquilejensi, & alibi, primum die 12. Julii, eum die 19. & 20. ejusdem Mensis. 24. A die 12. illud ad diem 19. transiit Raimundus Turrianus Patriarcha. ibid. Eadem die celebratum a FF. Predicatoribus Civitatenfibus. 25.

Maria, Soror Benvenutæ. 14. Obitus ejus. ibid.

S. Martha de Monte, Castellum ac Templum in vertice montis 13.

S. Mariæ ad nives Festum, quando celebrari coëptum, & qua die 56.

Matildis, Benvenuta Soror, matrimonio juncta. 46. Obitus ejus. ibid.

Modonutti Jacobus, Presbyter Parochialis S. Joannis in Xenodochio in Civitate Austria, novam editionem curat Vita B. Benvenutæ. 4. Notatus ibid.

A Monasterio Arturus, laudatus. 105.

Monasterium a Cella, seu S. Mariæ a Cella, Sororum Ord. Præd. 33. Primordia. ibid. Sacrae Virgines aliqua. 34. Non est Tertii Ordinis de Pœnitentia, ut putavit Seraphinus Ractius. ibid. Post obitum Benvenutæ Sorores vident facies divinitus accensas circa, & super sepulcrum ejus & quomodo. 84.

Monasterium S. Mariæ in Valle, dictum etiam Majus, Sororum Ordinis Benedictini, in Civitate Austria. 5. Vetusissimum. ibid.

Mosacensis Abbas, Benvenuta precibus liberatus pœnis purgatorii. 47.

N

Natalis, Episcopus Civitatis novæ, seu Emonia in Istria. 79. Filius Friderici, & Guilicoline. ibid.

Necrologia vetusta duo MSS. apud Fratres Predicatores Civitatenf. 12. 55. 106.

Neustria, pars Occidentalis Regni Lombardorum in Italia. 5.

Nico-

Nicolettus M. Antonius Civitatis, Au-
 bor Annalium Civitatis, qui MSS. ad-
 servantur. 78. 84. & seq. Patriarcha-
 rum gesta scribit. 105. Benvenutam ce-
 lebrat. ibid. Notatus. ibid.
 Nummi Aquilejenses, cusi; & ideales. 108.
 Denarii erant cusi, singuli 14. parvulo-
 rum: ac parvuli cusi erant. ibid. Den-
 arii antiqui, cum novae monetae mutatio
 fieret, redacti ad valorem solidi, seu 12.
 parvulorum. 109. & seq. Dicti etiam
 solidi, & solidi Aquilejenses. ibid. Hinc
 officina monetaria Aquilejensis nunquam
 solidos 12. parvulorum cudit. ibid.

O

De Olivis Palladius Jo. Franciscus, Ben-
 venuta memoriam celebrat. 105.

P

S. Paulinus, Patriarcha Aquilejensis, Civi-
 tatem Austriam vocat Forumjulium muni-
 cipium, & Metropolim Aquilejensem. 10.
 Paulus Diaconus, Civitatem Foriulii vo-
 cat Venetiae caput post Aquilejam exci-
 sam. 10. Ita dictam censet, quod ibi
 Julius Caesar negotiationis forum statu-
 rit. ibid.
 Paulus, Frater Benvenutae. 78. Obita mu-
 nia in Civitate. ibid. Familiam propa-
 gat. ibid. Obitus ejus. ibid. Agnes, pri-
 ma uxor & obitus ejus. ibid. Avinent,
 uxor altera, & obitus ejus. ibid. Filios
 habet, Franciscum, Conradum, & Vol-
 tricium Canonicum Aquilejensem. 79.
 Pertica, trabs in Cœmeteriis, & sepulcris
 Langobardorum erecta, & cur. 45.
 De Pertica, cognominati Conradus, &
 Majores Benvenutae. 43. & seq. Appel-
 lationis origo. 44.
 Philippus de Castillero, Fr. Conradi O. P.
 frater 17. Obitus ejus. ibid. & 42.
 Pila, Gurges Pila, locus in alveo Natifo-
 nis fluvii. 23. & seq.
 Pius, seu Plodius, Jo. Michael O. P. col-
 locat Benvenutam inter illustres Germa-
 nie faminas, & virgines. 4. Errorem
 corrigit. 5. Mutium Sforzam, Seraphi-
 no Ractio priorem, de B. Benvenuta
 scripsisse conjicit. ibid. Notatus. ibid.
 Laudatus. 105.
 Preces peculiaries, prolixae, & laboriosae,
 quibus Benvenuta se exercebat. 14.

Q

Quadragesima S. Martini 20.

R

Ractius, aut Razzi, Seraphinus O. P. in
 lucem edit compendium Vitae Benvenutae.
 5. Notatus ibid. & 34. Benvenutam ti-
 tulo Beatae vocat. 104.
 Recluse apud Ecclesias mulieres pie, ac vir-
 gines. 66.
 Revelationes de eadem re aliquando contra-
 rie, innoxiae tamen. 62.
 Revelationes, & visiones Benvenutae. Vi-
 de Visio Benvenutae.
 Rosimunda, nupta Luitprando Langobar-
 dorum Regi, falso dicta de progenie Prin-
 cipum Austriacorum. 11.
 Rota superior in Ecclesia, quid 86. Sum-
 pta pro Lychnucho. ibid.

S

Sclericatus, vox irrisionis. 24.
 Sepulcra Nobilium Familiarum extra Ec-
 cleSIam S. Dominici. 83. & seq.
 Sepulcrum, in quo Benvenuta corpus con-
 ditum fuit, extra Ecclesiam immediate
 ante fores. 83. Adhuc exstat, terra &
 lapidibus coopertum: aliud vero intra
 Ecclesiam postea effossum. 44.
 Sextorium, Sercotium, Textorium, voces
 explicate. 34.
 Sforza Mutius, italice vertit latinam B.
 Benvenutae Vitam. 3. De suo addit ali-
 qua. 4. Notatus ibid. & 11. 12. & 31.
 & 79. Laudatus. 105.
 S. Stephani Ecclesia vetustissima in Civi-
 tate Austria, ubi olim insignis Praepositu-
 ra. 52. Prope illam domus Benvenutae,
 & Familiae Bojane. ibid.
 Suarez Franciscus S. J. laudatus. 107. & seq.

T

Transfigurationis Domini Festum, quando
 celebrari ceptum, & qua die. 56.
 Trejus Lucrotius, Benvenutae memoriam
 celebrat. 105.

V

Visio Benvenutae de Virginis Deiparae as-
 sumptione in caelum exposita. 107. Ani-
 madversiones de visionibus, revelationi-
 bus, & apparitionibus. ibid. Saepe con-
 tingunt cum preconceptis in mente ima-
 ginibus. 108. Earum causae. ibid.
 Voltricus, filius Pauli q. Conradi Bojani.
 79. Sacris Ordinibus initiatus a Canciano
 Episcopo Civitatis nova in Istria. ibid.
 De Usino Leonardus, dictus etiam Matthei,
 & Senior, O. P. laudatus. 84.

Nos.

Nos Fr. Joannes Thomas de Boxadors Sacra Theologiae Professor,
de totius Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magister,
Generalis, & Servus.

HArum serie, nostrique autoritate officii, quantum in nobis est, facultatem concedimus R. A. P. Lectori Ex-Vic. Generali Fr. Jo. Fran. Bernardo Mariæ de Rubeis Congregationis nostræ B. Jacobi Salomonii Provinciæ nostræ S. Dominici Venetiarum, typis edendi opus, cui titulus: *Vita B. Benvenuta Bojane de Civitate Austria in Provincia Forijulii, quæ nunc primum latine ex originali Codice MS. in lucem prodit, cum Præfatione, & Annotationibus &c.* dummodo a R. A. P. Lect. Ex-Vic. Gen. Fr. Fulgentio Cuniliati, & R. P. Lect. Fr. Innocentio Fantoni ejusdem Congregationis nostræ, prælo dignum judicetur, & servantur cetera de jure servanda. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fid. &c. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ supra Minervam die 21. Maji 1757.

Fr. Joannes Thomas de Boxadors Mag. Ord.

Registr. Fol. d.

Fr. Joannes Brito Magist. Prov.
Terre Sanctæ, & Socius.

DEmandante Reverendiss. P. Fr. Joanne Thoma de Boxadors, Magistro Generali totius Ordinis FF. Prædicatorum, nos infrascripti legimus Opus inscriptum: *Vita B. Benvenuta Bojane de Civitate Austria in Provincia Forijulii, quæ nunc primum latine ex originali Codice MS. in lucem prodit, cum Præfatione, & Annotationibus Fr. Jo. Fran. Bernardi M. de Rubeis*: in quo nihil offendimus, quod ullo modo Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ repugnet; ea vero narrantur, & differuntur, quibus & pietas legentium foveri, & eruditio oblectari possit. Eapropter ut illud luce publica donec, dignum censemur.

In Collegio Veneto SS. Rosarii anno 1757. die 10. Julii.

Ego Fr. Fulgentius Cuniliati S. T. P. affirmo ut supra.

Fr. Innocentius Fantoni Lector primarius Theologiæ affirmo ut supra.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

A Vendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Gio: Paolo Zapparella Inquisitore Generale del Sant' Offizio di Venezia, nel Libro intitolato: *Vita Beata Benvenuta Bojana de Civitate Austria &c. qua nunc primum latine ex Originali Codice MS. in lucem prodit &c. F. Jo. Fran. Bernard. M. de Rubeis Ord. Prædicatorum*: non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a *Simone Occhi Stampatore di Venezia*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 6. Giugno 1757.

(Barbon Morosini Cav. Proc. Rif.
(Alvise Mocenigo 4.^o Cav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a carte 9. al num. 75.

Giacomo Zuccato Seg.

ERRATA

CORRIGE.

Pag. 11.	col. 1.	lin. 38.	significantem,	significante.
15.	2.	8.	respondis.	respondis.
		19.	celicium.	cilicium.
		23.	eras.	erat.
16.	2.	28.	distant.	distant.
19.		15.	E reversum.	Et reversus.
20.		11.	quel.	vel.
23.		14.	latinum.	f. latum.
37.		15.	linum.	lineum.
54.	"	2.	puccula.	puerula.
66.		4.	robore.	rubore.
84.	1.	10.	mœniis.	mœnibus.
		14.	mœniis.	mœnibus.
88.		42.	etiam.	eam.
89.		4.	alia.	illa.
		29.	naturæ.	naturæ.



Österreichische Nationalbibliothek



+Z157848107

